D. O. M. A.

ANTON. GÜNTHER. Billickß

De

NATVRA ET CONSTITUTIONE Spagyrices emendatæ.

EXERCITATIO.

Sum Gerhardi Lindenborn Chirurgi 1624.



BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

HELMAESTADI,
Typis heredum IACOBI LUCI,
Impenſis Zachariæ Raben.
CIↃ IↃ CXXIII.

Digitized by Google

PRÆILLUSTRI AC GENEROSISSIMO COMITI AC DOMINO,

DOMINO

ANTONIO GUNTHERO,

Comiti in Oldenburg & Delmenhorſt Dn. in Jehvern & Kniphauſen/

Domino ſuo Clementiſſimo, Evergetæ Munificentiſſimo,

Hanc ſuam de Spagyrices Naturâ atq; Conſtitutione Exercitationem

In

Debitæ Subjectionis, Gratitudiniſq; ſignificationem, ſuiq; humillimam commendationem

L. M. Q.

Dat, dicat,

Sua Celſitud. devotiſſimus ac ſubiectiſſimus, Cliens & Medicus,

Anton Günther Billich.

Digitized by Google

In Antonii Güntheri Billichii *De constitutione spagyrices exercitationem.*

Hactenus inconcuſſa fuit ſecura ruinæ,
Quam, ſuper æternis fundarant legibus, artem
Pergame Couſq; ſenex, hos agmine den- (ſo
Turba ſecuta virûm, quibus è meliore metallo
Finxit ad effigiem Phœbi ſua corda Prometheus;
Nec mage Theſſalici poterant inhibere furores
Tam claræ virtutis opus tam dogmata certa,
Quàm nox atra diem remorabitur obvia Soli.
Sed fatum! exoritur poſt altera ſæcula tandem
Inclitus ille heros, (ſic Dii voluiſtis) & artis
Solus Apollineæ doctor, ſoluſq; Monarcha,
Qui veterum illuſtres animas, laudiſq; capaces
Majoris, nihil eſſe putat, ſapit omnia ſolus:
Inde omnem Sophicum & Medicum peſſundare a-
Sus immũda cupit, roſtroq; evertere tentat, (gellũ
Et titulo, ut faceret, chymicas prætenderat artes.
O *ſ*celus! ó rabies! Chymiæ illibata virago
Non ex Bombaſti, Iovis at prognata cerebro
In nova nunc artem medicam mihi jura reſolvet?
Hæc inculta quidem, ſed non incognita, multis
Maiorum viguit ſeclis, tàmen haud mihi quiſquam
Illius ex uſu tam ſtulta ſophiſmata vidit.
Nam ſi naturæ cauſas hinc diſcere mens eſt

Protenus Eveſtrum, Iliadum, malè ſobria monſtra
Mechanica, & quænon, ſermoni incognita Volſco
Inde feres? aut ſi poſcas, quid doctius illo (eſt
Tum mundi ſub quintâ animâ, quæ vivida nuſquã
Scrutari, & minimo ſerpentem oſtendere in ovo
Incipiet; quod ſi renuis, tum torvius infit;
Credite me vobis folium dictare Sibyllæ:
Hæc tamen arripiens, nondum ſibi cauta, juventus,
Aſtupet, ut tædas cum myſtica jactat Eleuſis
Miratur populus, proprioq; errore tumeſcit.
Rectiùs, Antoni, Chymjæ fundamina veræ
Demonſtras, tacitos naturæ admiſſus in auſus,
Corpora quo concreta modo, quo ſolvere rurſus
Ingenio liceat, naturæ ut ſimia docta (phorum
Sit Chymja, hinc veterum tamen haut adaperta So-
Quæ ratio, & ſollers rerum Experientia doctrix
Invenit, Secliſq; fuere probata ſequutis
Cornicum inſultans, temerarius effodis, oclos;
Perge ita: formoſo dignum te fingere Phœbo
Sic arti conſtabit honos, ſic gloria felix
Nunquam præclaris deêrit, tibi ſpondeo, cæptis.

Scribebam Guelpherbyti
SAMUEL HOFFMANNUS D.

Vcripetæ Fratres, *nunc ite & vendite veſtra*
Arcana, incautis, ſubdola, diſcipulis!
Nimirum hæc veſtris cenſoria virgula nugis
Digna eſt: Tu Antoni, perge ita, clarus eris.
MARTINUS HEINZIUS Strauſ-
berg. March.

Theſis Prima.

Vam Chymiam, ſeu præpoſito articulo Arabico al-Chymiam vocant, eadem aliàs adpoſitiſſimo nomine *Spagyrice* conſuevit appellari: non ἀπὸ τοῦ συναγείρειν ut in ſuo *Medic. Politic.* deduxit *Rodericus à Caſtro*; ſed ἀπὸ τοῦ σπᾶν & γυρᾶν: quæ duo verba totidem Principes Chymiæ operationes, & ex hiſce reſultantem duplicem ejuſdem finem haud obſcurè exprimunt.

2. Hæc ipſa ſive Chymia ſive Spagyrice videtur commodùm tribui in duas partes, Communem nempe, & Propriam. Illa eſſentiam Spagyrices in genere explicat: Hæc verò certis & particularibus Subjectis, quæ communiter & in genere tradita ſunt, ſigillatim & ſpecialiter applicat.

3. Quod ergo priorem partem, atq; adeò eſſentiam Spagyrices in genere adtinet, nemo equidem dubitet, quùm in πράξει illa tota conſiſtat, quin ob id Artium numero ſit accenſenda: Cumq; omnis Ars, immò verò omnis Habitus Practicus tribus hiſce abſolvatur, Subjecto, Fine, & Mediis ad finem conſequendum idoneis, totidem quoq; ad Spagyrices eſſentiam concurrere neceſſum eſt.

4. *Subiectum* quidem *Beguinus* Corpus naturale miſtum; reliqui ferè omnes ſtatuunt eſſe, Vegetabilia, Animalia, Mineralia: Ego preſſiùs & ſtrictiùs rem determinans pro Subiecto proximo Spagyrices agnoſco Materiem Medicamentorum, ſed tamen triplici rerum claſſe

diſtinctam, Vegetabilium, Animalium, Mineralium.

5. Subjecta Diſciplinarum Practicarum contrahuntur ac determinãtur à Fine: qui proin minimè perfunctoriè nobis hîc eſt inquirendus. *Beguinus* Finem Chymiæ ponit Medicamentorum ſuaviorum, ſalubriorum ac tutiorum præperationem; *Paracelſus, Quercetanus, Crollius*, & reliqui ſeparationem Puri ab impuro: Verùm, tam præparatio quàm ſeparatio ſunt propter finem, operationes quippe; non ergo ipſe finis, non profectò magis, quam Motus eſt Terminus ad quem ipſius motûs *Ariſtotelis 5. phyſ.* Sed demus eſſe fines: Quid tum poſtea? Neuter eorum fuerit Arti ſufficiens & ad amuſſim exæquatus: Ac prior quidem non poterit, niſi pro Externo duntaxat haberi: Alter verò utut ad internũ referatur, minimè tamen propterea univerſam interni finis latitudinem exhauriet. Multa enim Corpora citra ullam ſui ſubſtantialem diviſionem ſive ſeparationem chymicè exaltantur, ut uſu venit in Magiſteriis.

6. Ideoq; in inveſtigatione veri & adæquati Finis diſtinctiùs proceſſerimus hac viâ: *Finis* Chymiæ eſt vel Externus, vel Internus.

7. *Externus* nullus alius eſt, quam ipſa τελείωσις ſeu perfectio ejus Partis Medicinæ, quæ Pharmaceutice nuncupatur:

8. *Internus* verò ipſum Opus ſive Pragma, quod Chymia efficit, ad quod omnes ejus operationes tendunt, & quo habito, eædem ceſſant.

9. Eſtq; hujus ſubdiviſio, in Primarium & Secundarium:

10. Peperit hanc finis Interni diſtinctionem, Subjectorum, quæ Spagyrice occupat, diſcrepans conditio.

Quæ-

Quædam enim ita ſunt comparata, ut Diacriſin, Analyſin, ſeu reſolutionem commodiſſimè ſuſtineant, ut ſunt Aurum, Argentum, Hydrargyrus: vel certè non ſuſtinent Pharmaceutices bono, ut ſunt Metalla quatuor Imperfectiora, Conchylia, Corallia, Perlæ & id genus alia.

11. Quæ prioris modi ſunt ſubjecta, in iis ita verſatur Spagyrus, ut vel Purum ab Impuro ſequeſtret, vel in eas, ex quibus quodq; proximè compoſitum eſt, partes reſolvat: Purum hoc ita ſeparatum, & ſubſtantias rerum ita ſolutas ac ſeparatas, cujuſmodi ſunt, Extracta, Tincturæ, Liquores, Olea, Sales, per realem ac ſubſtantialem Corporum diacriſin eruta, communi nomine, quia aliud commodius deſit, SEPARATUM ego nuncupo, ac primarium quidem Spagyrices pragma eſſe ſtatuo, neutiquam tamen adæquatum. Quia namq; quorundam corporum ea eſt vel conditio vel conſtitutio, ut quemadmodum jam dixi, Analyſin Spargyricam vel reſpuant omninò, vel certè per eam ad uſum pharmaceuticum molleſcere ac ſubigi nequeant; ne tamen ea prorſus intacta relinqueret Spagyrice, eadem tractandi modum adinvenit alium, Separationi ſuccidaneum, Redactionem videlicet in MAGISTERIUM: quod eſt Opus Spagyrices ſecundarium, cujus naturam atque eſſentiam ut aliquantò explicatiùs proponam, non equidem nullum fuerit operæ precium.

12. *Paracelſus lib. ſextum Archidox*: Magiſteriis addixit, in cujus limine Magiſterium finit, eſſe, quod extrahatur ex Rebus ſine ſeparatione, & ſine elementari præparatione, per additamenta, in quæ tales materiæ trahantur & ſerventur. Scilicet hoc tamquam in more poſitum habet ille homo, ut in ſuis Definitionibus, plus ſemper relinquat vel obſcuritatum vel ambiguitatum, quàm tollat.

omnium primò contradictionem venari debeo, quæ in ipſa definitione eſt apertiſſima. Ait, ſine ſeparatione extrahi Magiſteria: Quis me ergo vetet dicere, ea fieri ſine ſeparatione ſimul & cum ſeparatione? Namq; extractio quid eſt, quæſo, ſi non eſt ſeparatio? Itaq; vel non extrahetur Magiſterium, vel non fiet ſine ſeparatione. Alterutrum acceptet Paracelſus, utrumq; ſimul nequit, quum ſint expreſsè contradictoria. Sed fortean quæ benè ſenſit, malè eſt elocutus! Vellem equidem: Verùm ſi modos, ex ſubſtantiis Pinguedinoſis, Creſcentibus, Vino, & Sanguine conficiendi Magiſteria, quos prolixè Paracelſ. tradit, accuratiore æſtimatione arbitror; video eum in iis ipſis meras ſeparationum rationes docere, ut ſic ab utraque parte firma adhuc atq; inconcuſſa ſtet illa ipſa contradictio. Præterea quid vel Rei vel monſtri eſſe dicam elementarem præparationem? Suſpicio eſt, vel per eam intelligi ſeparationem Elementorum, quam *Archidox: lib. 3.* fuerat perſequutus, ut ſenſus ſit, Magiſterium fieri ſic, ut ex corpore in Magiſterium adducendo, nihil elementorum ſeparetur; vel ad differentiam Quinctæ eſſentiæ, de quâ *quarto lib.* egerat, iſthæc verba inſeri: Vtrolibet modo fiat: ſupervacanea certè ſunt, eam quidem ob cauſſam, quod qui ſeparationem ſimpliciter à Magiſteriis excludat, eum etiam unâ Elementorum ſeparationem excludere oporteat. Additamentum deniq;, quia formam elargitur Magiſterio, imò eſt quaſi hujus quædam forma, id certè quid & qualenam ſit, omnino ipſi fuerat ſpecialius exprimendum.

13. Nihilo feliciorem hac in re operam præſtitit *Beguinus.* Is *Tyroc. lib. 2. cap. 19.* Magiſterium definit, quod ſit, quando Corpus miſtum ita præparatur arte Spagyricâ citra extractionem, ut omnes ejus partes Homogeneæ ſerventur,

ventur in nobiliorem vel ſubſtantiæ vel qualitatis gradum traductæ, exterioribus impuritatibus ſegregatis. Idem *lib. 3. cap. 1.* prodidit, Q. Eſſentiam interdum ſignificare quamvis Speciem Chymicam craſſitie materiæ elementaris, corpulentiſq; fæcibus exutam, ac obponi Magiſterio, in quo tota ſubſtantiæ moles ferè remaneat, ſed exaltata ac depurata. Dico, hic nequaquam exprimi differentiam formalem Magiſterii, vel, ſi quæ exprimitur, eamdem ſtatim everti ac tolli. Etenim quomodo exteriores impuritates ſegregari poſſint à corpore in Magiſterium adducendo, & tamen nihilominus hoc ipſum citra extractionem fieri, dici, id verò nullus video; *lib. 1. cap. 3.* Extractionem finierat Speciem reſolutionis, quâ corporis mixti partes ſubtiliores à craſſioribus ſegregentur; Atqui, quando exteriores mixti corporis impuritates ſegregantur, an non tum ſegregantur partes ſubtiliores à craſſioribus? Omninò ergo per Beguinum Magiſterium fit citra Extractionem, pariterq; non fit citra Extractionem: atq; hanc contradictionem eò ſolidius ſtabiliret, dicit omnes homogeneas partes Corporis in Magiſterium adducti ſervari. Itaq; neceſſum erit heterogeneas perdi ac ſequeſtrari: quod ipſum certè non poteſt citra extractionem fieri, ut liquidiſſimæ contradictionis omni ex parte Beguinus ſit convictiſſimus. 2. Non rectè idem obponit Q. Eſſentiam Magiſterio, tamquam ſpeciem contradiſtinctam, per eam quidem, quam affert, differentiam. Quod ſi enim depuratur corpus in Magiſterio, ut vult Beguinus, annon idem craſſitiè materiæ elementaris, corpulentiſq; fæcibus exuitur? Neq; eſt, quod ſe voculâ illa *ferè* tueri conetur, cauſſatus fortè, non tamto impendio Corpus depurari in Magiſterio, atq; fit in Q. Eſſentiâ ſive aliis Magiſterio contradiſtinctis ſpeciebus:

 Nihil

Nihil hoc juvat Beguinum, quum magis & minus non varient Speciem; Et ſi minus depuratum eſſe conſtituat differentiam Magiſterii formalem, nihil impedit, quò minus in contradiſtinctis Magiſterio Speciebus reperiantur, quò nihilominus ſint Magiſteria: Atq; ſic per Beguinum etiam differentia ſpecifica periit, per quam in ſuo eſſe conſtituatur, & aliis ſpeciebus Chymicis contradiſtinguatur Magiſterium. 3. Quum plæriſq; Coralliorum, Mercurii, Stibii, Solis, Lunæ, Martis, Veneris, Saturni, aliorumque Corporum congenerum præparationibus Spagyricis, quas multis capitibus is pertractavit, Beguinina Magiſterij definitio non minus, atq; iſtis, quæ exempli loco attulit, Magiſteriis Tartari, Perlarum, Coralliorum, Sulphuris competat, miror equidem, quidnam cauſſæ fuerit, quare illas ipſas præparationes, diſtinctis à Magiſterio Capitibus, tamquam ſpecies diſtinctas, ſuo Tyrocinio hinc inde, uti fortè vel caſus tulit, vel opinio, promiſcuè inferſerit, quæ ſi ad locum ſuum natalem, uti par eſt, referenda ſint, Tyrocinium illud nullâ non Parte inſigniter conturbabitur: 4. Quumq; Magiſterium ſub quavis Conſiſtentiâ Liquidâ, Molli, Durâ ſubſiſtere queat, videtur utiq; Beguinus, nihilo meliore de cauſsâ Conſiſtentiæ duræ, tamquam Mancipium illud addixiſſe.

14. Ego finio Magiſterium, quod ſit Pragma Spagyrices ſecundarium, conſtans ex Corpore ad Analyſin Spagyricam inidoneo, exaltato citra ſui ſubſtantialem ſeparationem ſeu diviſionem, per conjunctionem Menſtrui appropriati & convenientis. Pro cujus pleniore intelligentiâ notandæ ſunt 1. Partes Magiſterii conſtitutivæ, quæ ſunt duæ, Ipſum corpus præparationi ſubſtans, & Menſtruum: illud ſe habet ut materia ſubſternens ſe Menſtruo tamquam formæ, quippe à quo actuetur determine

minetur, & quaſi informetur. 2. Differentia Magiſterii formalis: quæ eſt exaltatio, citra ſeparationem ſubſtantialem 3. Ipſa corporis & menſtrui conjunctio: quæ fit interventu ſolutionis, per quam illa duo ſecundùm minima naturalia ſibi invicem concorporantur, attamen ſeparabiliter, quum ſeiungi rurſus ab invicem poſſint, corpore ad ſuam formam revertente, quæ res Reductio vulgò appellatur: 4. Exaltatio: quæ fit dupliciter, tum quoad ſubſtantiam corporis in Magiſterium adducti, ut quod anteà erat durũ, per additũ conjunctumq́, ſolvens molleſcat; quod ſolidũ, ſolvatur; quod craſsũ, ſubtilietur; quod denſum, rare fiat; quod compactũ, adtenuetur & reddatur penetrabile: tum etiã quoad qualitates, ut quę antea in occulto delituerant, manifeſtentur & vegetentur. Ac quemadmodum corpus & Menſtruum conjuncta ſuos utrinq; actûs conſociare, atq; adeò tertium aliquod, tamquam novam ſpeciem, conſtituere videntur, ita non rarò obtingit, ut ex hac duûm conſociatione nova quædam qualitas, quæ in neutro ſcorſim præextiterat, erumpat & emergat.

15. Magiſteriorum porrò Differentiæ peti poſſunt à formâ ſeu ſpecie externâ: Alia enim conſpiciuntur formâ liquidâ, alia formâ oleoſâ, alia ſalinâ, neq; nulla pulvereâ:

16. Ut ergo eò redeamus, unde ſumus digreſſi, conſtitutum eſt, Operum Spagyricorum duo in vniverſum ſumma genera eſſe SEPARATUM & MAGISTERIUM: quæ ſanè, quum ſint ex intimâ Spagyrices naturâ atq; operandi ratione deſumpta, non poſſunt non ipſi Arti eſſe intrinſeca & eſſentialia, ac reliquas ſpecies omnes, quocunq; ſchemate, in Scenam Chymicam protrudantur, ſive facultatum appellatione veniant, ut Elixiria, Arcana, Pa-

na, Panaceæ, Specifica; ſive à ſimilitudine, Flores, Croci, Cryſtalli; ſive à ſubtilitate, & penetrabilitate, Spiritus; ſive καθ' ὑπερβολὴν Quinctæ Eſſentiæ; ſive à modo operationis per quem conſiunt, Præcipitata, Sublimata, Deſtillata; ſive deniq; à Conſiſtentiæ ratione, Liquidæ, Molles, Duræ dicantur, ſub ſuo complexu coërcere.

17. Ac *Beguinus* quidem, quum à modo conſiſtentiæ Opera Chymica partiretur, ut adtulerit diviſionem adæquatam, quæ omnia Diviſi membra complectatur; Attamen quia Conſiſtentia Operibus Chymicis accidentariò fortuitoq;, addo etiam mutabiliter, adveniat, ideò illi partitioni inter accidentales differentias locum relinquere poſſum, minimè genuinum pro eſſentiali eamdem agniturus.

18. Nec etiam aliò, quam ad accidentales differentias pertinere arbitror, quæ vel à Perfectione & Imperfectione, inchoatione & completione: vel à ſimplicitate & compoſitione ſpecierum Chymicarum; vel aliunde ſunt deſumptæ.

19. Porrò de partitionis meæ ſufficientiâ dubitari poterat, eò, quod Ars ſæpe ſeparatas Corporum ſubſtantias, tum etiam ipſa Magiſteria, ad nobiliorem puritatis, ſubtilitatis & perfectionis gradum elevet: quæ ſanè Res tertium videtur πραγμάτων Chymicorum membrum conſtituere. At bene habet. Iſta exaltatio, ſive, quomodocunq; vocare velis, non eſt opus à Separato & Magiſterio diſtinctum, ſed tantummodò Actus utriq; ſuperadditus, utriq; communis.

20. Et tamtùm de Fine: quo viſo cognitoq; cogitandum eſt de *Mediis* ad hunc conſequendum idoneis: Suntq; hæc vel ipſæ *Operationes*, quippe quæ finis gratiâ tota ſunt, id quod ſunt; vel, quæ Operationibus inſerviunt, *Inſtrumenta*.

21. Ope-

21. Operationes quomodò diſtribuerit ac digeſſerit *Beguinus*, id ſubjecta hypotypoſis declarabit.

Operationum Spagyr. ſecundùm Beguinũ duo ſunt ſumma genera

- *Solutio: cuius ſpecies*
  - *Calcinatio: quæ fit*
    - *corroſione: fitq; hac*
      - *amalgamatione:*
      - *præcipitatione:*
      - *ſtratificatione:*
      - *fumigatione:*
    - *Ignitione: quæ fit*
      - *Cinefactione.*
      - *Reverberatione.*
      - *Deſiccatione.*
  - *Extractio: quæ eſt duplex*
    - *Generalis: fit vel cum*
      - *Aſcēſione eſtq; vel*
        - *Sicca: Alembicũ.*
        - *humida: eaq; vel*
          - *Recta: per Veſicam.*
          - *Obliqua.*
      - *Deſcēſione eſtq; vel*
        - *Calida:*
        - *frigida: eſtq; vel*
          - *Filtratio.*
          - *Deliquiũ.*
      - *modo intermedio: cuius ſpecies*
        - *Digeſtio.*
        - *Putrefactio.*
        - *Circulatio.*
        - *Fermentatio.*
    - *Specialis.*
- *Coagulatio: fit peculariter*
  - *Exhalatione.*
  - *Coctione.*
  - *Congelatione.*
  - *Fixatione.*

Ipſam cujuſq; operationis definitionem quiſquis ſcire velit, is adeat Auctorem ipſum: qui mihi quidem eâ in re tradendâ atq; explicandâ non per omnia ſatis fecit.

22. Videlicet duo ſumma genera conſtituit, Solutionem & Coagulationem. Solutionem ille definit, Reclusionem corporis naturalis miſti in tria ſua principia, Mercurium, Sulphur & Sal, ex quibus naturâ eſt conflatum, ſeparatis heterogeneis: Coagulationem; quâ res molles & liquoroſæ è conſiſtentiâ tenui fluidaq; in ſolidam, per privationem humiditatis cogantur: faterurq; ultrò, hanc cum ſolutionis ſpeciebus inſeparabiliter ferè cohærere. Non jam de principiis iſtis Chymicorum diſputabo, neq; etiam, an ex illis omne corpus naturale miſtum conſletur, controvertam; ſed in gratiam Auctoris habebo hoc pro præſuppoſito: Interim tamen ita quærere lubet: Solutio & coagulatio Beguino ſunt operationes contrariæ: Habebunt itaq; terminos contrarios ad quos. Motus enim quilibet ut ſpecificationem ſuam ita contrarietatem quoque ſortitur à Termino ad quem docente *Ariſtotele 5. phyſicorum.* At, quænam hic contrarietas? Recluſio in Sulphur, Salem, & Mercurium non magis contrariatur redactioni in conſiſtentiam ſolidam, quam Sulphur, Sal, Mercurius, contrariantur ipſi conſiſtentiæ ſolidæ. Diverſa hæc ſunt, non contraria, non oppoſita. Aut ergo Solutio non eſt rectè finita, aut Coagulatio; vel ſi hæc rectè finita eſt, tum vi hypotheſeos meæ, Solutio finienda fuerit; Rei ſolidæ & ſiccæ in conſiſtentiam mollem & liquoroſam ſeu tenuem & fluidam redactio; vel coagulatio finienda fuerit, Mercurij, Sulphuris & Salis ſeparatorum ſeu reſolutorum, ut ita loqui liceat, redunitio. Secundò, quomodò Coagulatio Solutioni in genere contradiſtingui poteſt, & tamen cum Speciebus ſolutionis inſeparabiliter cohærere dici? Quod generi contradiſtinctum eſt, quomodo cohærebit cum ſpeciebus? ſed tamen pone, ut vera ſit genuinæ atq; irreprehenſibi-

lis

ſis Solutionis definitio: Illa quia generica eſt, prædicabitur de omnibus Speciebus, & Specierum Speciebus, atque idcirco de Calcinatione, de Extractione, deq; Speciebus utriuſq;: ex quo hercle miſerabilis perturbatio oritur. Namq;, ut à calcinatione ordiar, Solutio in Calcē; non eſt Solutio in Sulphur, Sal, Mercurium: Id patebit diſtinctius ex conſideratione ſpecierum Calcinationis. Quando enim Metallum e. g. Aurum, Luna, per amalgamationem, præcipitationem, cæmentationem, fumigationem, & qui ſunt alii corroſionis modi vel ſpecies redigitur in calcem, quænam quæſo tum ſit eorum in Mercurium, Sulphur, Salem, reſolutio? Niſi fallor, nulla; quum utrumq; Metallum in iſtis Calcinationibus perſiſtat integrum, id quod liquidiſſimò monſtrabit Reductio: Integrum autem Metallum quomodo dici poteſt in ſua tria principia reſolutum? Calcinatio verò per ignem, ejuſq; Species, tamtùm abeſt ut recludant corpus in Mercurium, Sulphur, & Salem ut potius, ſi quid Mercurii & Sulphuris ut & Salis volatilis illi inſit, id deſtruant, devaſtent, & perdant. Extractionis generalis ſpecies, quum ſint communes tam ſeparationum, quam Magiſteriorum elaborandorum, illæ ſiquidem Magiſteriis inſerviant, omnino expirabit Solutionis definitio; Conſtat enim ex Magiſterii notione, quod in eo corpus ſubſiſtat integrum atq; irreſolutum quoad ſubſtantiam, nedum ut in Mercurium, Sulphur & Salem per reſolutionem abierit. Sed neque ſpeciali Extractioni ſolutionis definitio competit, quoniam per illam corpus in illa Tria non recluditur, ſed potius contrà illa ipſa tria conjunctim in ſeſe cohibet Extractum, quæ ſine Extracti deſtructione non poſſunt ex illo ſecerni. Quamobrem Beguinus nobis ejuſcemodi Solutionis definitionem genericam dedit, quæ de Definiti

finiti ſpeciebus non prædicetur: id quod erat demonſtrandum.

23. Porrò *Calcinatio* definiente illo eſt miſti in Calcem, id eſt tenuiſſimum pulviſculum, ablatione ſuperfluæ humiditatis factum, ſolutio. Includit ergo in formali ſuâ ratione ſuperfluæ humiditatis ablationem Calcinatio. Quid itaq; jam fiet de Calcinatione Metallorum per corroſionem? Illa equidem non fuerit Calcinatio, quum per eam nihil ſuperfluæ humiditatis Metallis adimatur, ſed ipſamet maneant integra, & in Corpus ſuum metallicum nullo negocio reducantur. Corpus autem integrum perſiſtens, quiſquis nihilominus ſuperfluâ humiditate privatum dicat, is equidem ſibi ipſi apertè contradicat. Præterea, quicumq; Metalla quatuor Imperfectiora, Markaſitas, Antimonium, in Cineres Scoriaſq; vitrificantes, atq; amplius irreductiles redegit, is, meo quidem judicio, eadem reverâ calcinavit: At iſtiuſmodi calcinatio non fit per ablationem humiditatis, ſed per ablationem partium volatiliorum, quarum merito iſthæc corpora fluxibilitatem obtinent, quas quidem nihil minus eſſe quam humidas, ſed aridiſſimas potius & ſicciſſimas, experietur, quiſquis Metalla Imperfectiora ac Markaſitas, modo infra deſcribendo, in Igne examinârit.

24. Dicam equidem, quidnam rei ſit. quum Calcinationem finire ſibi propoſuiſſet Beguinus, omnium primò liberare debuiſſet ipſum vocabulum ab æquivocatione, nec ſub unam definitionem cogere homonyma. Duplex enim eſt Calcinatio: Vera & Apparens. Verâ Calcinatione aufertur Humidum rerum, auferuntur & eæ partes, per quas fluxibilitatem habebant res, fitq; ſolius ignis beneficio, verè ac realiter deſtruentis & conſumentis. Apparens, per Res acres & corrodentes inſtituitur, quâ quidem

dem non niſi apparenter deſtruuntur Corpora Metallica, ac in minima dirimuntur, inq; pulverem ac calcis figuram commigrant; à quâ ſemper patet regreſſus ad formam priorem & naturalem. Ac priori quidem definitio Begnini competit, idq; ex parte, quum, ut ex dictis patet, minimè ſit adæquata: poſteriori verò non magis, quam Homini mortuo vel picto veri hominis definitio. Itaq; quum tam diſtinctas res tam perturbatè confunderet Beguinus, nequaquam potuit Calcinationis naturam ſolidâ accurataq; definitione exponere.

25. Veniamus ad *Extractionem*: illam finit Speciem Reſolutionis, quâ Corporis Mixti partes ſubtiliores à craſſioribus ſegregantur. Quod ſpecificæ differentiæ loco hîc aſſuitur, latius eſt ſuo genere, ipsâ nimirum ſolutione. Nam profectò quicunq; corpus mixtum in Mercurium Sulphur & Sal recludit, is ejuſdē partes ſubtiliores à craſſioribus ſegregat, non è converſo partium ſubtiliorū à craſſiorib⁹ ſegregatione factâ, in Mercurium Sulphur & Sal corpus recluditur. Nam qui Sulphur Minerale ſublimat, is equidem partes ſubtiliores à craſſioribus ſeparat, non tamen in illa tria recludit ipſum Sulphur. Qui Tartarum depurat, is à partibus terreſtribus & arenoſis ac lutulentâ ſpurcitie, candidiſſimum illum, acidulum, & ſubtiliſſimum pulverem ſegregat, neq; tamen per id in illa tria, ipsâ Anatomiâ teſte, dirimit Tartarum. Quid, quod ipſe Beguinus ultrò fateatur, interdum fieri partium ſegregationem, per Deliquium, quod ſecundum illum eſt Extractionis Species? Dabitur ergo Species, de quâ non ſemper prædicetur genus: & ut oſtenſum, Species latior atq; amplior ſuo genere.

26. Cumq; in ipſis Solutionis Speciebus reperiantur, quibus Coagulationis definitio ad amuſſim competat: ut

 ſunt

ſunt Præcipitatio, Deſiccatio, Extractio ſpecialiter dicta, ipſeq; Beguinus minimè diſſimulet cum Præcipitatione, Amalgamatione, Sublimatione, Deſtillatione inſeparabiliter cohærere Coagulationem: quid impediat, quo minus dicamus, partitionis Beguininæ membra ſeſe invicem pervadere ac permeare? Quin etiam inter quatuor coagulationis modos ſolus tertius eſt coagulationi peculiaris: Reliquos cum Solutione communes habet Coagulatio: ac Exhalationem quidem cum Fumigatione, Cinefactione, Deſiccatione, Deſtillatione, Extractione ſpecialiter dictâ: Coctionem cum digeſtione, Fermentatione, maturatione: Fixationem verò ipſe fatetur numquam eſſe à Calcinationibus, Cœmentationib⁹, Sublimationibus ſejunctam. Hactenus Beguinus.

27. Alii, inter quos eſt Clariſſimus *Liddelius lib. 5. Artis Med. cap. 11.* Functiones Spagyricas ex *Paracelſi lib. de Transmutat. Rerum Natural.* ſecundum gradus digerunt, horumq; computant ſeptem, Calcinationem, Sublimationem, Solutionem, Putrefactionem, Deſtillationem, Coagulationem, Tincturam. Verum hanc graduum diſtinctionem Paracelſus non univerſæ Chymiæ, ſed, quum de Tranſmutationibus, Metallorum præſertim, ſcribere vellet, huic ſuo propoſito dumtaxat ſpecaliter accommodavit. Ita in *Archidoxis* etiam *lib. de ſeparat. Element.* tres primarias operationes ponit, Deſtillationem, Calcinationem, & Sublimationem: quæ tamen operationum diſtributio, Paracelſi propoſitum, quod illic loci particulare eſt, egredi minime debet, & ad univerſam Chymiam extendi.

28. Mihi ſubductis rationibus omnibus, *Functiones* Spagyricæ viſæ non incongruè diſpeſci in *Immediatas* & *Mediatas*. Illas voco, à quibus Finis internus ſive opus

Spa-

Spagyrices præciſè & immediatè dependet. Suntq; , vel *Diacriſis*, cui SEPARATA, *Syncriſis*, cui Magiſteria, deberi profiteor. Hiſce duabus functionibus reliquæ uno nomine omnes, promiſcuè ferè inſerviunt, & famulantur, atq; ob id à me vocantur Mediatæ, quas ſingularis quædam prærogativæ eminentia rurſus diſtinguit; quandoquidem aliæ Immediatis ſerviunt principaliter, aliæ minus principaliter.

29. *Mediata Principales* ſunt Digeſtio, Diſtillatio, Calcinatio, Sublimatio, Solutio; Coagulatio; Extractio vero ſpecialiter dicta, non eſt operatio ſimplex ſed conſtans ex Solutione, Filtratione, Coagulatione.

30. *Mediata minus principales* ſubſerviunt Principalibus, ſuntq; Filtratio, Lutatio vaſorum, Regimen ignis, Stratificatio: Atq; hæc, quidem non eſt, ut vult Beguinus, Corroſio ſive Calcinatio, ſed tamtummodo Actus præcedens corroſionem; ad hanc facile ſuſcipiendam prædiſponens Res Stratificatas.

31. Ad haſce functiones, tamquam generales, quin reliquæ omnes reduci commodum queant, nullus dubito. Cujuſq; autem Naturam, Species, Modos, Differentias, nemo rectiùs didicerit, atque ab ipſo uſu. Graviſſima eſt vox *Hipp. lib. de flatib. Quæcunq; quidem manuum tractationem poſtulant, ea in uſum traducere oportet. Eſt enim uſus optimus docendi Magiſter.* Neque præter rem *lib. de Tinct. Phyſic. cap. 1. Paracelſ.* monuit, Uſu diſcendas eſſe ipſas operationes, neq; has tantùmmodo, verum etiam, quæcunq; præterea ad Opus requirantur, Inſtrumenta: de quibus nunc deinceps breviter ſum acturus.

32. Sunt autem *Inſtrumenta* in duplici Differentia: alia Principalia, alia Minus Principalia.

33. *Principalia* duo: Ignis & Menſtruum.

34. *Ignis*

34. *Ignis* conſideratur vel ſecundum gradus; vel graduum gradus, quum uniuſcujuſq; gradus permagna ſit latitudo, eaq; vel reſpectu remiſſionis, vel intenſionis.

35. *Gradus* alii aliter diſtribuunt: Mihi *Primus* eſt in Fimo, *Secundus*, in Balneo, *Tertius*, in Arena, *Quartus*, in Igne aperto ſeu Reverberii.

36. Alterum principale Inſtrumentum eſt *Menſtruum:* quod divido in Actuale & Potentiale.

37. *Menſtrua Actualia* voco Liquores, qui ſolvendi poteſtate actu ipſo ſunt præditi: Suntque triplices, *Aquoſi*, ut Aquæ deſtillatæ: *Sulphurei*, ut Spir: Vini, Terebinthinæ: *Salini*; iiq; vel vehementer Corroſivi, ut Spiritus Nitri, Salis, Vitrioli, Aquæ Fortes, Chryſulcæ; vel minùs vehementer, ut Aceti Spiritus, ipſumque Acetum, &c.

38. De *Menſtruo Vniverſali* multi multa nugantur. *Crollius* Aquam ſapientiæ vocat, tum Hylealem, Menſtruum item Mercuriale Philoſophorum totius naturæ ſecretiſſimum, omnium Metallorum ac Lapidum verum atq; adpropriatum Solvens, quo ſe tamen carere ferè ejulabundus conqueritur. *Franciſcus Antonius Londonenſis* Menſtruum quoddam ſuum Auri ſolutivum, Aquam cælicam, Raymundinam, nominat, Mercurium Philoſophorum, omnium horarum hominem, qui quamcunq; impreſſionem veluti Cera recipiat, quo centum quadraginta trium Specierum ſelectiſſimarum, Animalium, Vegetabilium, Mineralium eſſentiæ queant evocari. Neq; nulli ſunt, qui id Balneum Dianæ indigitent, Magneticam Priſcorum Philoſophorum clavem, corpus omne phyſicum virtute numeroſâ latenti pervadentem, pandentem, quale quid profeſſus eſt pridem quidam *Ioan. VVolffgang. Dienheim.* Sed heus tu, quiſquis es!

Non ſatis eſt, iſthoc uno te dicere verbo,
Sed facere, ut quivis ſentiat & videat.

Ego ita ſentio, & præciſè dico: Qui uno Menſtruo omnium ſive Corporum, ſive Mineralium ſolutiones pollicetur, perinde agit, atq; ſi omnium corporum per deſtillationem reſolubilium diſtillationes moliretur uno ignis gradu.

39. *Potentialia menſtrua* ſunt, quæ quidem vim ſolutoriam actu primo & abſoluto minimè obtinent, at accipiunt actu ſecundo, accedente Igne Reverberii: qualia ſunt Sulphur, Nitrum, Sal gemmæ &c. quæ cum corporibus Metallicis & Lapideis commixta, etſi actu primo & quatenus talia ſunt, vi iſthæc corpora ſolvendi videntur deſtituta: attamen in actum ſolvendi erumpunt, beneficio Ignis Reverberij, qui ipſe Solutionis opifices Spiritus latentes excitat, & circa corpora ſolvenda concentrat, unde ſolutio perficitur.

40. Dignum tamen obſervatu, Menſtruum non ſemper obtinere in Chymiâ rationem Inſtrumenti: Sæpè enim tranſit in ipſum opus, & fit ipſius operis facti abſolutiq; Pars, ut in Magiſteriis manifeſtum; contra quam fert natura Inſtrumenti, quippe quod numquam Rem factam ingredi doceat *Ariſtot. in fin. lib. 1. de Generat. Animal.*

41. Reliqua Inſtrumenta ſunt propter Ignem & Menſtruum, quæ proin *minus principalia* dicuntur: quo genere comprehendo, Fornaces, Vaſa, & quicquid demum ad ſupellectilem Chymicam pertinet, cujus curioſam nomenclationem videre licet apud *Rhenanum, Sennertum* atque alios.

42. *Aëris* quoq; in Chymiâ vis eſt cognitiſſima: Concurrit ille ad opera Chymica, vel humiditate ſuâ, in Solutione rerum ſalinarum, vel frigiditate, in earumdem

C conge-

congelatione. Quatenus circa Salia concretus eſt in aquam, catenus Menſtrui aquoſi loco eſt, non minus atq; eſt Aqua ipſa. Per ſe tamen Inſtrumentum, Artis haberi nequit, quum non ſit in poteſtate Artificis.

PARS PROPRIA. 43. Nihil jam in Parte Communi ſupereſſe video; ut proin tempeſtivum jam ſit, tranſire ad alteram Spagyrices Partem: quæ, ut ſuprà dictum, Singula in ſpecie ſubjecta occupat. Et, quoniam illa triplicia ſunt, ideo de ſingulis ordine agemus, initio facto à Vegetabilibus.

44. Horum præparatio Spagyrica conſiſtit in Diacriſi ſeu Separatione. Sed modus Diacriſeos evariat, quemadmodum tum ipſa conſtitutio Corporum, quæ ſunt vel Herbæ, vel Flores, Fructus, Radices, Ligna, Cortices, Semina, Aromata, Balſama ſeu Succi naturales &c. tum etiam ſecernendæ ex hiiſce partes ipſæ: quæ ſunt vel liquores Aquei, vel Oleoſi, vel Sales, vel Extracta, & quæ cum Extractis idem ferè ſunt, Tincturæ.

45. *Liquorum Aqueorum* melior Diacriſis hæc eſt: Accipio Herbas, Flores, Fructus, Radices, omnia viridia, recentia & ſucculenta: Succum exprimo, & (Extracti ergò) clarifico: clarificatum transfero ad Arenam, & per Alembicum lentiſſimo Igne evoco Aquam, uſque quo ad conſiſtentiam Mellis Succus devenerit. Aquam eliquatam ad Solem Spacio Menſtruo circulo, & repono. Dixi, Succulenta me ita tractare. Quod ſi enim minùs Succulenta fuerint, combibenda ſunt priùs ſ.q. aquæ fontanæ, & in Balneo præmacerandæ, Inde exprimendæ, & modo procedendùm priori.

46. Sed & ex hiſce exſiccatis adornatur Liquor. Accipitur eorum e.g. libra una, conciditur minutiſſimè, & infunditur in Libb. XII. Aquæ communis, & ſeſquilibra Vini, macerantur hæc, deſtillantur & quarta ſolummodò

dò Pars evocatur: Hic quidẽ Liquor, quà talis, non eſt ali⁹, quam extraneus, ſed tamen mediante Digeſtione & diſtillatione imprægnatus ſubſtantiis volatilioribus Vegetabiliũ, Eſtq; hic modus accommodatus parandis Liquoribus Diaphoreticis, Aperitivis, Calefacientibus, ut Carduo benedicto, Veronicæ, Abſinthio, Centaurio, Calamentho &c.

47. *Oleorum* Diacriſi præmittenda eſt diſtinctio duplex, utraque obſervatu perquàm neceſſaria: videlicet, quod quædam Olea ſint Spirituoſa, Aëria, Volatilia, Subtilia; Quædam Fixa, terreſtria, craſſa; quod alia poſſint ſine combuſtione ſuorum corporum ſecerni, quædam verò ſine incineratione & combuſtione ſuorum corporum nequaquam protrahantur.

48. Sine combuſtione ſuorum Corporum ſecernuntur Olea 1. ex *Herbis*, ut Rore marino, Majoranâ, Lavandulâ, Origano & ſimilibus. 2. *Corticibus*, Arantiorum, Citriorum, Limonum. 3. *Seminibus*, Aniſi, Fæniculi Coriandri, Nigellæ, Cardamomi, Dauci, Cumini, Carvi, aliiſq; naturæ calidæ, odoriferæ, & partium ſubtiliorum ſive tenuiorum. Nam quæ diſſimilis his naturæ ſunt, ſine combuſtione nequaquam extillantur, quamtumvis Olei abundè habeant: cujuſmodi ſunt ſemina Melonum, Cucurbitæ &c. quô referuntùr etiam Amygdalæ, Semina Citri, Arantiorum, Piſtacia, aliaq; congeneris naturæ, prædita unctuoſitate craſsâ, lentâ atq; tenaci, quæ facilè quidem exprimitur, at non tranſcendit Alembicum, vel ſine combuſtione elicitur à ſuis Corporibus, 4. *Aromatibus* Cinnamomo, Pipere, Cariophyllis, Nuce Moſchatâ, Macis &c. 5. *Therebinth. Petrol.*

49. Modus hujus generis olea ſecernendi hic eſt: Roriſmarini e. g. Libra una exſiccata (privata namq; volunt

Vege-

Vegetabilia priùs aquoſitate ſuâ externâ: (quamquam ſi lectiſſimi Secreti notitiam vulgo proſtituere vellem, reapſe oſtendere poſſem, id non eſſe univerſale) contundatur groſſo modo, & maceretur in tantâ aquæ quantitate, quanta ſufficit ad bulliendum. Deſtillatio fiat per veſicam, quæ Refrigeratorium habeat ſupra Capitellum, ad medietatem aquæ affuſæ, cui innatare videbis Oleum, idq; per Tritorium ſeparandum. Aquam reaffunde, & diſtillationem repete, etiam ad vicem alteram, modo procedendo priori. Ita videlicet Oleum volatile ſecernitur, & volatile ſolùm; quo ſecreto, cogitandum non eſt, univerſum Oleum exhauſtum eſſe, ſed reſtibile adhuc manet fixius, tenacius, craſſius, & ponderoſius, ac neque id quidem unius generis, quod hoc modo nequaquam ſecernitur, ſed Diacriſin ſui habet cum altero Oleorum genere communem.

50. Vegetabilibus quæ non reddunt ſua Olea ſine combuſtione atq; incineratione ſui, annumero *primò Ligna, Reſina craſſa & lenta*, ut Guiacinum, Aloës, &c. Hæc minutiſſimè diſciſſa immittuntur Retortæ bene lutatæ, & per ignem apertum lento primum calore evocatur pars aquea, quæ ineſt, inde vehementer augetur ignis, donec egredi ceſſarint fumi. Tum vaſis refrigeratis Aqua turbida Oleumq; nigrum & putidum eximitur, ſeparantur ab invicem, Oleumq; Arenæ permixtum rectificatur in Arenâ, & ſi ita placet, Aqua itidem per Balneum. Quæ tamen quoad ſenſus Iudicium prorſus ſicca ſunt, ſi Oleum ſuum dare debeant, ita malim tractari, ut nempe priùs redigantur in Extracta ſolidiſſima, ex quibus deinde pauxillum illud, quod poſſident Olei, modo jam dicto, extorqueatur.

51. *Secundo: Gummata Reſinoſa.* Accipitur Gummi Ammonia-

moniacum, Galbanum, Opopanax, aut ſimilis naturæ quodvis aliud, quod cum Subſtantiâ phlegmaticâ, viſcoſâ, partem habet evidenter reſinoſam: diſcinditur in partes minutiſſimas: & miſcetur cum bonâ parte Arenæ: deſtillatio fit per arenam in Retortâ: Aquâ & Oleum ſeparantur, & ſi ita placet, Oleum rectificatur.

52. *Tertiò: Succinum Gagaten, Aſphaltum, Bitumen*: Hæ materiæ groſſo modo contunduntur, contuſis repletur ad medietatem Retorta, per quam in Arenâ diſtillatio fit, lento igne, uſq; quo ſubtilius Oleum egreſſum ſit: quod ſeorſim capi poteſt: Inde Ignis intenditur, & exit id, quod eſt terreſtrius & craſſius. Notandum de ſuccino, quod in ejus Diacriſi, Sal volatile quoddam ſeſe ad Collum Retortæ elevet, quod quidam colligunt ſolvunt, filtrant, & coágulant.

53. *Quartò: Conchylia, Corallia, Perlas*; quorum Diacriſin & Syncriſin rectius inter Mineralia, propter præparationis identitatem, breviter tradam.

54. *Quintò: Ceram*; quæ minutiſſimè conciſa cum Argillâ & Arenâ in maſſam redigitur, ex quâ formati globuli & exſiccati, per Alembicum non nimis ſublimem vel rectiùs Retortam, flavum inſtar Auri Oleum præbent, quod ad modum Butyri ſæpè coagulatur.

55. *Sextò: Reſinam, Picem Liquidam; Gummi Elemi*: quæ merito Ignis apertí, lento initiò calore exercita, Oleum exhibent primò candidiuſculum; deinde aucto pauliſper igne flavum; & ultimò igne vehementius intenſo, Rubrum & viſcoſum.

56. *Septimò: Saponem Hiſpanum vel Venetum.* Is eodem quo Cera inpaſtatur modo, applicato Receptaculo capaciore deſtillatur per arenâ in Retortâ: primùm lentè, poſt fortiùs, uſq; quo ſpirituum nihil exeat ampliùs. Tum oleũ

eximitur obſcurè viridiuſculum, odoris multùm acuti, quod ſi rectificare velis in Arenâ, ſeparare poteris partem Olei ſubtiliorem, flaveſcentem adinſtar Auri.

57. *Octavò: Balſamum Peruvianum, Indicum, Liquidambram, Storacem Liquidam:* Hiſce repletur Retorta ad tertiam partem, lento Igne diſtillatio inſtituitur; inde gradatim intenditur, quoadusq; univerſum Oleum ſit exhauſtum, quod inſtar Salis fixi prodire interdum conſpicitur. Nota, horum Oleorum partem, quæ primùm prodit eſſe odoratiſſimam:

58. Reliqua, ſi quæ addenda fortè ſint, ſuo Marte, hiſce probè perceptis, nulloq; negocio quilibet addiderit, ut jam nobis ſit ad *Salium* ſecretionem progrediendum.

59. Abſolvitur hæc tribus diſtinctis actibus Incineratione, Lixivii confectione, & hujus Coagulatione. Incinerantur Vegetabilia ablatione humidi Aquei & Oleoſi: Id auffertur vel per combuſtionem, vel diſtillationem, Caput enim mortuum peractâ deſtillatione reſiduum, privatum humido ſuo, habet ſe inſtar Cineris. Cinis autem Igne violento ulterius calcinatur uſq; ad albedinem. Cineri ita calcinato affunditur Aqua clara & limpida, in quâ liquitur Sal, Lixivium filtratur, & coagulatur, in coagulatione quiſquis partem cauſticam in calcinatione contractam, à reliquo ſale candido & Chryſtallino ſequeſtrare novit, is hac quidem in re, omne tulit punctum.

60. Quem ex Succis ſine calcinatione ſecernere docet *Beguinus cap. 17. Tyrociny, lib. 2.* & *eſſentialem* (quaſi verò alter ille per calcinationem ſecretus, plantis inexiſteret accidentaliter) vocat, cum diſtillatio docebit, non eſſe verum & ſincerum Salem, nedum ut ſit eſſentialis; Sed *Tartarum* quaſi quoddam *Herbarum*, conſtans ex particu-

lâ qua-

lâ quapiam tum Terræ tum Humidi Aquei pariter atque Oleoſi, tametſi ſub prædominio Salis.

61. Ad *Extracta* pergo, & Tincturas. Illa dupliciter fiunt, vel interventu Menſtrui, vel per ſe ſine Menſtruo ex Succis. Accipio Succum depuratum & clarificatum à diſtillatione Aquei Liquoris reſiduum, eumq; inſpiſſo lento igne, donec ſolidam Extracti ideam conſequatur. Quæ beneficio Menſtrui veniunt elicienda, in iis majore paululum accuratione atq; circumſpectione opus eſt, ut Menſtruum eligatur idoneum & competens, quod Rei extrahendæ debet eſſe homogeneum: Duplicia namq; hujus generis ſunt Extracta: aut naturæ aqueæ, aut Sulphureæ ſeu Reſinoſæ: Aquea, Aqueis; Sulphurea, Sulphureis promptiſſimè eliciuntur: interq; Sulphurea Catholicon eſt ſpiritus Vini, *Cœlum* ob id *Philoſophorum* dictus; quod rerum cunctarum potentias rapere ad ſe crederetur. Nam, quod *Paracelſus* in *Archidox: lib. de Quint. Eſſent.* fieri vetat, ut videlicet in Q. Eſſentiæ extractione Aquoſis Aquoſa, Oleatis Oleata, Reſinatis Reſinata applicentur, quodq; econtrario extrahi vult per Aquas Eſſentiam Oleoſam, & per Oleoſa Eſſentias Aqueas, id omnino rerum naturæ adverſatur. Inter Res enim naturæ diſſimilis nulla eſt Solutio: Solutio quippe eſt unio, quam, quæ diſſimilis ſunt naturæ, non appetunt mutuò, ſed reſpuunt. Plura de Extractis non addo, quum hanc rem copioſiſſimè & acuratiſſimè, ſi quiſquam alius, in ſua *Pharmacopœa* perſequutus ſit *Quercetanus.*

62. *Tincturæ* modo conficiendi non differunt ab Extractis, quæ Menſtrui ope fiunt: Differunt ſolâ coloris ratione, quem de ſuo quæq; Tinctura vegetabili habet ſibi ac conſtanter ſervat.

63. Pertinet ad Vegetabilia etiam *Tartarum* quod du-

plici

pliciDiacriſi eſt obnoxium. Nam vel à Parte terrenâ & arenoſâ ſeparatur citra diremptum partium componentium; vel in haſce ipſas reſcinditur. Priore modo Tartarum ſubtiliter pulveratur, à ſpurcitie lutulentâ ſedulò eluitur, & mediante bullitione, partium arenoſarum interceptione, coagulatione, exſiccatione exquiſitè depuratur. Anatome Tartari apparatur per Retortam vitream aperto igne, Applicato capaci Receptaculo; Ignis datur non uſq; adeò vehemens tantiſper, donec Aquea Pars egreſſa ſit, & effumare ceperint vapores obſcurè flaveſcentes; tum Ignis intenditur & continuatur, uſq; quo nihil fumorum exeat ampliùs. Vaſis refrigeratis, in Receptaculo reperitur Liquor Aquoſus, & Oleum nigrum, ſeparantur ab invicem, utrumq; rectificatur, Spiritus cumprimis, qui ter per arenam in Urinali rectificatur. Caput mortuum in Retortâ reſiduum, Sal dat cauſticum; quod cum Spiritu Vitrioli, vel Salis exaltatur:

64. Abſoluta mihi nunc videtur omnis de Vegetabilibus conſideratio Spagyrica; à quâ, quoad modum tractandi nihil differunt Animalia: Namq; & horum ipſorum præparatio eſt in Diacriſi ſita.

65. Exempli loco *Anatomen Sanguinis humani* adducam. Ille Urinali terreo infuſus lege artis per Arenam deſtillatur primùm lento igne, quoad prolecta ſit Aquea Pars: deinde fortiore, donec non amplius fumi prodeant. Quod extillavit, colligitur, & per chartam emporeticam trajicitur ad interceptionem & ſegregationem Olei nigri & fœtidiſſimi. Aqua tranſcolata continet duas partes, Phlegmaticam & ſpirituoſam prægnantem Sale volatiliſſimo; quæ ab invicem ſecernuntur in Balneo Maris. Inſtar enim Spiritus Vini Spirituoſa pars & elevatur in Balneo, & primùm prodit, relicta poſt ſe parte phlegmaticâ,

ticâ, cõtrà quàm in primâ diſtillatione fiebat, in quâ præibat Phlegma. Spirituoſam partem à Phlegmate liberatam per repetitas rectificationes & digeſtionem diutinam ampliùs ego purifico, ſubtilio, & promoveo in Mumiam limpidiſſimam. Atq; ut hoc quoq; addam, quod animadverſu non eſt indignum, dignoſcitur Spiritus à Phlegmate, hoc ipſo, quod inſusâ guttâ unâ atq; alterâ vel Spiritus Vitrioli, vel Salis, vel Aquæ Fortis vel alterius Corroſivi, Spiritus Sanguinis bulliat atq; effervefcat, Aqua nequaquam. Porrò ex capite mortuo, modo vulgari Salem extrahere, ſi lubet, licet.

66. Cæterùm *Mumiam* quoq; ex Sanguine ſecerno, illam quidem; quam *Paracelſ. Parte 9. Operum Tract. 3. Philoſoph.* vocat *à vivo corpore ſeparatam & præparatam.* Eſt hæc nihil aliud quam Pars carnoſa Sanguinis extracta. Omnis enim Sanguis eſt caro inchoata. Pars illa carnoſa extrahitur ſegregatione Sanguineæ Tincturæ ſine ullo igne: extracta in Sole ſiccatur: pulveratur.

67. Perluſtranda ſunt jam *Mineralia:* in quibus numero *Sales*, *Sulphur*, *Vitriolum*, *Gemmas*, *Conchylia*, *Metalla*: &c. Non ignoro in hiſce reperiri, quæ propriè ad Mineralia non pertinent: Verùm quum ea ipſa modum præparationis cum certi generis Mineralibus communem obtineant, ideo viſum fuit communem cum Mineralibus locum iis aſſignare.

68. *Sal marinus*, *Sal gemmæ*, *Nitri*, præparantur vel ſine deſtructione ſui, vel cum ſui deſtructione: priore modo rediguntur in Lapillos; poſteriore reſolvuuntur in Spiritûs. Redactio in Lapillos conſiſtit in ablatione extraneæ humiditatis: hæc aufertur, per fuſionem in igne, ſeu, ut loquuntur, decrepitationem: quô factô Sales fuſi & decrepitati ſolvuntur, filtrantur, conglaciantur. In Spi-

ritus reſolvuntur iidem decrepitati prius, mox ſubtiliter pulveriſati, lateribus contuſis permixti, Igne aperto, applicato Receptaculo capaciſſimo, in quo infunditur ſ. q. aquæ fontanæ limpidiſſimæ, in quam ſe Spiritus ſalini promptiſſimè inſinuant. Deſtillata Salis marini & & Gemmæ rectificantur; & ſi opus ſit, Phlegmate per Balneum aliquouſq; evocato, Spiritus hi acuuntur omnes.

69. *Sulphur* præparatur per Sublimationem, Combuſtionem, Solutionem.

70. Per *Sublimationem* ſecernitur à Terrâ minerali impurâ & nigrâ. Pulveriſatur Sulphur, & arenæ permixtum per Urinale, Alembico cæco coopertum, igne quidem aperto, ſed nõ nimis vehementi, elevatur in formâ puriſſimorum florum: quibus ego peculiari artificio vim odoratam & magis balſamicam imprimo à Sulphure quodam Vegetabili appropriato.

71. Rideo, quotiens video Sulphuri ſublimando vel Salem communem, vel Tartarum, Vitriolum, calcinata, hæcq; vel ſeorſim vel conjunctim à quibuſdam infarciri. Ignis enim ſublimando Sulphuri ſufficiens, minimè ſufficit elevandis dictorum Salium Spiritibus, qui ſi vel maximè elevarentur, uniri tamen non poſſent Sulphuri ob unctuoſitatem, quâ præditum hoc, unionem reſpuit quorumcunq; Spirituum vel acidorum vel aqueorum.

72. Per *Combuſtionem* Spiritum acidum Sulphuri extorqueo hoc pacto. In Crucibulo capaci Sulphur fundo, Ellychnęo Sulphurato à Crucibuli ſummo ad imum per mediaſtinum pertingente. Crucibulo ſuperappendet Alembicus terreus rotunditatis capacis, ab utraq; parte roſtratus. Roſtro utriq; adjungitur Receptaculum aquam continens: Sulphur accenditur & effumantes Spiritus Salini in aquam decumbentes, eouſq; prolectantur, quoad

aquæ

aqua evadat acidiſſima: quam rectifico, & ſi opus ſit, etiam dephlegmo.

73. *Solvitur* Sulphur in Spiritu Terebinthinæ rectificato; digeritur ſpaçio bimeſtri, ſolutione inſtar Rubini ſplendeſcẽte, quæ abſtracto aliquouſq; Menſtruo poteſt inſpiſſari.

74. *Vitriolum*, interveniente præcipitatione, reddit inſitum ſibi Metallum, idq; vel Cuprum, vel Ferrum, quod ita præcipitatum pro *Sulphure Vitrioli* ineptè habent *Quercetanus*, *Crollius*, atq; alii: Per deſtillationem exſudat ex Vitriolo, Phlegma, Spiritus duplex, Terrâ, Minerali in Vaſe Deſtillatorio relictâ: ex qua purpuraſcente, ſolutionis coagulationiſq; beneficio elicitur id, quod Salem Vitrioli vocant, quod reverâ nihil aliud eſt, quam Saliforme Coagulum Spiritus Chalcantini & particulæ Mineræ Metallicæ.

75. Quod ad *Gemmas* ſpectat, fruſtrà ſeſe in earumdem Diacriſi macerant Chymici. Unica & ſola earumdem præparatio eſt in Syncriſi: per quam in Magiſterium Saliforme eas promoveo. Ut à Menſtruo ſolvente acidulo promptiùs combibantur, ſubigendæ ſunt & præmolliendæ per Sulphur Alkalinum, abluendæ, ſiccandæ, inde ſolvendæ, digerendæ, filtrandæ, coagulandæ.

76. *Conchylia* tamen, *Corallia*, *Perlæ*, ſuſtinent Diacriſin. Igne enim aperto exprimitur iis aliquamtillum Liquoris aquei pariter atq; oleoſi. At Caput mortuum, quod reliquitur calx eſt, nulla ignis vi ſalſeſcens. Hæc Diacriſis parùm prodeſt Pharmaceuticæ: Præſtat Syncryſis; per quam integra hæc corpora in ſubtiliſſimos atomos redacta, affuſo Aceti Spiritu ſolvuntur, & in Magiſterium ſaliforme evehuntur.

77. Neq; etiam alio, quàm ad Magiſteria pertinere id, quod *Tinctura* tam *Corallinæ* quàm *Gemmarum* nomine

 vul-

vulgò venditatur, ſola ejuſdem exſiccatio docebit; per quam id acquirit formam Salis.

78. METALLORUM tractationem intricatam oppidò & perplexam reddidere Artifices in Diacriſi eorumdem nimis infeliciter occupati: quam non unius generis moliri omnes video. *Paracelſus* in *Archidoxis* ſeparationem Elementorum ex Metallis, ut & ex iiſdem Quintæ Eſſentiæ eccriſin profitetur: *Ioſephus Quercetanus in Defenſ. Medicin. Hermetica cap. 16.* Plumbi Analyſin Specioſè & plauſibiliter adornavit, ex quo Liquorem Mercurialem, Oleoſum ſeu Sulphureum, Salem deniq; ſecernere docet, idq; Exempli loco, ſecundum quod ex omnibus Metallis illa Tria prima ſtatuit ſeparanda. Alii Metalla in Hydrargyrum & Sulphur Minerale reſolvere allaborant. Hydrargyralyſin iſtam operosè inter Recentiores adſtruere conati ſunt *Matthias Unzerus Lib. 1. Anatom. Mercur. Spagyr. cap. 15.* & qui ſe *Heliophilum à Periis* nominat in *Diſquiſit. de Heliâ Artiſt. Theophr. pag. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38.* quorum hic Sulphuris quoq; extractionem ex Metallo quopiam unâ eâdemq; operâ proponit.

79. Verùm enimverò, quod cujuſq; pace & veniâ dictum eſto, hi omnes ſplendidiſſimè nugantur, & pro verâ Analyſi putidis Sophiſticationibus & ineptis delirationibus negocium totum conficiunt. De Paracelſicâ quidem & Quercetanianâ illâ, aliâq; conſimili Diacriſi, eſt hæc irrefragabilis & invicta mea adſertio; Quod ex *Metallis non poſſint ullâ arte ſeparari Liquores, Olea, Sales, Q. Eſſentia, & id genus nugæ: & quicquid hiſce nominibus, tamquam ex Metallis ſeparatum venditetur, id nihil aliud eſſe, quàm vel ſolum ſive Menſtruum, ſive Solvens; vel Menſtruum cum integro Corpore Metallico coniunctum.* Hujus Concluſionis Ratio & inconcuſſa veritas fundata eſt in ipsâ Reductione Metal-

Digitized by Google

lorum, quam ſi illi, quiqui ſunt Scriptores, paullo accuratiùs inſtituiſſent, parſum fortè fuiſſet tam elumbibus nugamentis, quibus hodieq; noſtræ ſimplicitati illuditur ac imponitur.

80. Vide ſis exempli gratiâ Analyſin Saturni Quercetanianam. Illa perficitur Calcinatione, Solutione, cum Spiritu Aceti, Soluti in Salem coagulatione, Coagulati diſtillatione, & ejus, quod in Vaſe Diſtillatorio reſtibile manet, iteratâ per novum Spiritum Aceti Solutione, & Coagulatione in Salem. Quot hic ſunt actus, totidem quoque, ſi non plura, Quercetani peccata, Primò enim ridiculum ſit, rem calcinare hoc eſt humiditate, ſi quæ talis ineſt, privare, & nihilominus ex eâ calcinatâ Liquores extrahere velle; niſi fortè, ut puto, calcinationem apparentem intelligat. 2. Solutio Plumbi apparenter calcinati, (quale quid eſt Minium, Cerusa, Maſticot) per Spiritum Aceti facta, & Soluti illius Coagulatio non eſt eccriſis Salis ex Plumbo: Sed Redactio Plumbi in Magiſterium. Spiritus enim Aceti ita cùm Plumbo corporali & integro coaleſcit atque condenſatur in formam Salis; quod patet tum ex pondere, tum ex Reductione, per quam facile reviviſcit ita in Salem redactus Saturnus. 3. Per Diſtillationem hujus Saliformis Magiſterii non ſecernitur ex Saturno Liquor vel Mercurialis vel Sulphureus, ſed tamtummodò conjunctum cum Saturni corpore integro Menſtruum acidum abſtrahitur à Metallo hoc, quod in Retorto vaſe inſtar Pulveris ſubtilis manet reſtibile, & facile in ſuum Corpus reducitur. 4. Iterata illa Solutio nihil aliud eſt, quam ejuſdem Magiſterii repetita confectio: non Salis fixi extractio, ut falsò vult Quercetanus. Namq; & ex hoc ipſo nihilo ſeciùs atq; ex priore iſtiuſmodi Liquores per diſtillationem ſecernuntur,

 Plum-

Plumbo ſemper illæſo, quod in Vaſe Diſtillatorio remanet, & infinities poteſt hoc modo ſolvi, coagulari, & per diſtillationem tractari. Unde vanitas Anatomes Quercetanianæ tamtùm non manu poteſt palpari.

81. De *Hydrargyralyſi Metallorum* ita ſtatuo: Nihilo eſſe firmiora atq; certiora, quæ de eâ vulgò doceantur. Unzerus quidem perſuadere nobis conatur, non eſſe ut de Artificii illius poſſibilitate dubitemus: Interim tamen dubitandi cauſſam nequaquam ipſe tollit, ſed ſuggerit plenâ manu. Namq; & Ratio ipſius nulla eſt, & fallax, ubi ad rem ipſam ventum eſt, Experientia. Ita ratiocinatur:

Ex quo unumquodq; tamquam ex proximâ materiâ conſtat, in id poteſt per Artem reſolvi ſeu reduci:
Atqui Metalla conſtant ex Hydrargyro tamquam ex proximâ materiâ:
Ergò Metalla poſſunt per Artem in Hydrargyrum reſolvi ac reduci.

Reſpondeo, Majorem Unzeri Monſtrum eſſe in Philoſophiâ, ſaltem Peripatheticâ: *lib. 2. Metaph. cap. 2.* Philoſophus ajebat: *Naturam non retrocedere, neq; ex generatione fieri id, quod generabatur.* Fieri enim nullâ ratione poteſt, ut Corpus humanum in ſemen & Sanguinem, materiam ſuam proximam reducatur & reſolvatur, ſemen in ſanguinem, ſanguis in Chylum, Chylus in panem, panis in Triticum &c. Unde non tamtùm corruit major Unzeri, ſed argumentum ejus totum invertitur hoc quidem pacto: Si videlicet in Mercurium reſolvantur Metalla tum non eſſe illum horum materiam proximam, eo modo, quo *Iulius Palmarius cap. 10. de Lapide Philoſoph.* concludebat

bat de Principiis Chymicorum, ſi videlicet omnia corpora in Aquam, Oleum, Salem reſolvantur, argumentum eſſe certiſſimum, ex hiſce illa nequaquam eſſe generata.

82. Cæterum in gratiam Unzeri negabo etiam Minorem Propoſitionem: Ratio mea hæc eſt:

Quæ eſt materia proxima Stanni, Plumbi, Cupri, Ferri, eadem etiam eſt proxima materia omnium Metallorum:

Atqui Vapor quidam fuligonoſus, ſubtilis, aridus, ſiccus, & Terra quædam Mineralis calcina, ſolida, inſipida, vitrificans, ſunt proxima materia Stanni, Plumbi, Cupri, Ferri:

Ergo ille Vapor & Terra Mineralis ſunt proxima materia omnium Metallorum.

Hujus demonſtrationis Propoſitio Major nititur hac Hypotheſi, quod omnium Metallorum una ſit atq; eadem materia proxima. Minor ab evidentiſſimo Vulcani teſtimonio probatur, per quam in ejuſcemodi Partes, quatuor illa Metalla reſcindi infra docebo. Ex quo Minorem ita aſtruo ex Principio Unzeri:

In quod quid reſolvitur, id eſt ejus materia proxima:
Atqui in iſtum Vaporem & Terram Mineralem Illa quatuor Metalla reſolvuntur:
Ergo ille Vapor & Terra Mineralis ſunt proxima materia illorum quatuor Metallorum.

83. Sed quia Unzerus Minorem ſuam probaſſe ſe ait ſupra *Cap. 13. lib. 1. Anatom.* ideo retexemus illam ipſam diſputationem, & quantum momenti huic Minori allatura ſit, anquiremus. Quinq; autem Argumentis inibi pugnat,

gnat, quorum *primum* non abſolutè probat theſin Unzeri, ſed ex hypotheſi Ariſtotelis; Ait, *Ariſtotelem in fin. lib. 3. Meteor:* cui omnes ferè adhæreant Philoſophi, docere, materiam metallorum eſſe Vaporem quemdam humidum, cui ſit permixtum aliquid ſiccæ ſpirationis. Nunc autem non dari tranſitum ab uno Extremo ad alterum ſine medio, quod ſanè fieret, ſi Metalla ex Spiritu tenuiſſimo generarentur, tunc enim tranſirent ab Extremo ad extremum, ſine medio, videlicet à Vaporibus ſeu ſpiritibus tenuiſſimis ad metallicam ſubſtantiam, quæ, ut omnibus conſtat, valde ſit compacta, dura, ac ſolida. Id verò minus veriſimile videri, Neceſſe igitur eſſe, dari corpus aliquod intermedium ſeu mediam conſiſtentiam habens, ex quo producantur Metalla, quale omninò præ omnibus aliis obtineat Argentum vivum. Verùm facilè pro ſe reſpondebunt Ariſtotelici, admodùm imbellem eſſe militem, quem in primâ acie collocet Unzerus. Primò enim ipſum Principium ex quo diſputat, videlicet tranſitum non dari ab uno Extremo ad alterum ſine medio, id in Philoſophiâ Peripatheticâ non eſt Univerſaliter verum. In generatione enim & corruptione fit tranſitus ab uno Extremo ad alterum ſine medio, quia illæ mutationes intra terminos cõtradictorios verſantur, ſuntq; , ut loquuntur, inſtantaneæ: Quarum ob id medium nullum eſt. Ita quoq; in actu Illuminationis tranſitus fit à privatione ad habitum, quæ duo etiam *ἀμέσως* ſunt extrema, Sed etiam vel maximè admittant id Principii, parùm cauſſæ Unzeri proderit. Vi enim ejuſdem Medii negari poteſt, quòd & Hydrargyrus ſit proxlma materia, eò, quod hoc poſito, nihilominus tranſeatur ab uno extremo ad alterum ſine medio. Certè enim ſi tranſitus fiat ab Hydrargyro ad formam metallicam tranſibitur à

molli

molli ad durũ, à nõ malleabili ad malleabile, à non ductili ad ductile, à non fuſili ad fuſile, à Spirituoſo ad Corporeũ, à Volatili ad Fixum, à fluido & mobili ad ſolidum & immobile, quod ne ipſe quidem ibit negatum, ſaltim eorũ quæ *c. 14.* ipſe hanc in rem diſputat, meminerit. Quod verò porrò Hydrargyrum mediũ corpus eſſe ſeu mediam conſiſtentiam habere concludit ex eo, quia neq; nimis mollis neque durus ſit, ac totus inſuper ſpirituoſus imò velut compages quædam Spirituum: per id profectò, quod conſtruit, deſtruit ipſe. Nam 1. quo magis ſpirituoſus eſt, eò magis extremum, ſi cum diſpoſitione Metallorum conferatur, quæ molis ſunt prorſus corporeæ. 2. Mirari ſubit, quid in mentem ipſi venerit, ut Mercurium vivum neq; mollem nimis, neq; durum pronunciare auſit, quem tamen molliſſimum eſſe *Cap. 14. fol. 98. Rat. 3.* diſertis verbis ipſi fatetur.

84. Primum ergo Argumentum eſt admodùm invalidum. *Secundum* verò etiam minoris momenti, quippe in quo non probetur Concluſio, quæ debebat. Colligat quis terminos: Ratiocinatio tota talis futura eſt: Quæcumq; ſe mutuò appetunt, materiam inter ſe communem obtinent: Mercurius & Metalla mutuò ſe appetunt: Ergo materiam inter ſe communem obtinent. Non hæc erat concluſio probanda Untzero, ſed illa: Ergo Mercurius eſt proxima Metallorum materia: quæ quidem ex iſtis præmiſſis nullo poteſt ingenio exprimi. Quod ſi enim ex iſto appetitu, quo Metalla amplectitur Mercurius, hunc illorum eſſe materiam proximam concludere quis ſatagat, nihil me vetet, etiam hoc obtinere, quod & Metalla ſint Mercurii materia proxima, quia Metalla quoq; Mercurium viciſſim, non diffitente ipſo Unzero, appetunt.

 85. *Ar-*

85. *Argmuentum tertium* abit in Circulum; Hic enim argumentatur, Metalla ex Mercurio tamquam materiâ proximâ conſtare, quia Metalla in Argentum vivum artis beneficio reſolvantur: *Cap.* verò *15.* colligit Metalla in Argentum vivum ſeu currens artis beneficio reſolvi, quia Metalla ex Mercurio tamquam ex proximâ materia conſtent: Nempe hoc eſt principium petere, & ejuſdem per idem probatione circumagi. Quod addit, Argentum vivum materialiter corporibus metallorum ineſſe, ex eo aliquo modo veriſimile fieri, quod ea fuſa & in igne liquata omnia formam argenti vivi fluidam præ ſe ferant, nec ab illo multùm diſtare videantur: Laudo candorem Unzeri, qui ex eo veroſimile ſeu probabile argumentum ducere voluerit. Quod autem probabile eſt, habet ſe ad utramq; partem contradictionis, cujus una quidem pars accipitur, ſed non niſi cum metu & formidine alterius. Ac ſiquidem formæ ſimilitudo cujuſquam ſit ad hoc probandum efficaciæ, quis me vetet eodem modo concludere; Quia Sales in Igne liquefacti identidem Mercurio ſe aſſimilent, ideo etiam hunc illorum corporibus materialiter ineſſe, & proin pro proximâ Salium materiâ habendum. Neq; etiam *Clavæi* auctoritas, quam ſubjungit, tanti eſt, ut eâ multùm percellamur, vel, tamquam conſpecto Meduſæ capite, de ſaxeo ſtupore nobis metuamus, præſertim, quum, quod is Hydrargyrum per Hydrargyrum extrahere præſumat, non poſſit non primò ſtatim intuitu ſuſpectum videri.

86. *Quartum Argumentum* eſt: Mercurium vulgarem ſingulari quodam artificii genere in alia Metalla, præcipue vero in Aurum, Argentum, Plumbum, quæ ſunt ejuſdem naturæ cum naturali Auro, Argento, Plumbo, tranſmutari poſſe: Si ergo habeant eamdem naturam, neceſſum

ceſſum quoque eſſe, ut eamdem habeant tum materiam, tum formam: alioqui nulla contingeret Metamorphoſis. Quemadmodum ergò materia ejuſmodi ſeu Auri ſeu Plumbi Artificialis, eſt Argentum vivum, ita quoq; idem eſſe materiam Auri, Argenti, Plumbi naturalis. Litem lite reſolvit Unzerus, quum non poſſit iſtius metamorphoſeos vivum atq; infallibile documentum afferre. *Lib.* quidem *2. cap. ult.* Mercurii in Plumbum tranſmutationem molitur, at modo prorſus ſophiſtico & nullo; quem, qui leviter tamtum pyrotechniam attigit, ſuaviter rideat. Ut maximè tamen iſtam Metallorum Metamorphoſin daremus, per eam, quod intendit, ſalvis aliis ſuis hypotheſibus (quæ eidem certitudini innituntur) minimè efficeret. *Cap.* namq; *17. lib. 1.* tranſmutari ſcribit Ferrum in AEs, ex quo eadem conſequentiæ ratione quis concluderet, AEris naturalis materiam proximam eſſe Ferrum; Sic Plumbum artificiosè in Stannum, Cuprum, Argentum vivum, Stibium tranmutari affirmat, Ergonè etiam Plumbum erit materia proxima, naturalis Stanni, Cupri, Argenti vivi, Stibii? Non ferat me ita ratiocinantem, & proin ignoſcat quoque mihi, cui ſimilis raticinatio non uſque adeò videtur tolerabilis. Quicquid hic mihi reſponderit Unzerus, id ſtatim ipſi regeram: vt videat nihil ſibi præſidii in iſtâ miſera metamorphoſi relictum.

87. Multo verò minus in Auctoritatibus, quas magno numero, & *quincti argumenti* loco congeſſit. Quod ſi enim iis agenda res ſit, poſſum nec numero pauciores, nec doctrina inferiores quam plurimos Ariſtotelicos obponere, qui uno ore omnes negent, hanc eſſe, quam is fruſtra hactenus contendit, Metallorum materiam.

88. Cæterùm *Experientia*, quam affert Unzerus conſiſtit maximam partem in alienâ fide *Libavii*, *Maieri*, *A-*

 Zothi,

Zothi, Eraſti, Lullii, Edoardi Kellei, Hollerii, Palmarii, Clavai, atque aliorum; quorum vel nudis auctoritatibus, vel Sophiſticis Proceſſibus libertatem ingenii ſui proſtituat quivis, per me licet; Ego, quum in Chymiâ etiam magnos viros labi potuiſſe deprehenderim, nulli⁹ auctoritate jam deinceps moveor, ſed ubiq; requiro certam & irrefragabilem Artis evidentiam, quâ in totum deſtituitur Unzerus. Namq; & ipſa ejus Praxis ex Metallis reducendi mercurium, & quos proponit *artificioſos modos ad hunc præcipuè ſcopum collineantes*, ii, ita me Deus amet, in univerſum omnes vel apertè falſi ſunt, vel ſophiſtici & nugatorii: tales ſcilicet, de quibus nihil veriùs ab Unzero dici potuerit, quàm quod ad hunc ſcopum præcipuè collineent. Collineant enim, minimè verò gentium ad eumdem pertingunt. Tractet quis Aurum, Argentum, Plumbum, Stannum, modis iis, quos tradit Unzerus, & ſecundũ hujus præſcriptũ, omnia quàm diligentiſſimè adminiſtret: Peracto opere, ſi quidq̃ Mercurii videat, plus quam lynceus ſit, oportet. Quin potius Reductionis beneficio, quodq; horum Metallorum reſtituitur in integrum. At ex cupro Mercurium eliciendi modum affert Unzerus prorſus Magiſtralem. Non animadvertit bonus vir, quod qui apparet Mercurius nullus ſit alius, quàm ex immiſto ſublimato, per iſtam operationem vivificato, qui ipſe ſibi Cuprum corporale aſſociârit, unde colore viridi tinctus viſatur. Cuprum verò quàm facilè rurſus ab eo ſegregari, inq; ſuum corpus reduci queat, id verò commodum erat, ut paullò accuratiùs didiciſſet iſte Scriptor, priùſquàm iſtis fœdis ſophiſticationibus ſua Commentaria coinquinaſſet. Idem, de artificio Unzeriano, eliciendi ex Ferro Mercurii, judicium. Sed quidnam cauſſæ putemus eſſe, quod non huc acceſſiverit Aquas ſuas Mercuria-

les

les, quas *lib. 2. cap. 2.* ait Metalla calcinata aut limata in Mercurium vivum ſeu currentem ſolvere? Forte, id negocii per eas nihilo feliciùs confectum iri rectè ſubolfecit.

89. AEquè ſophiſtici & miſerabiles ſunt etiam illi Hydrargyrolyſeos modi, quibus Rempubl. Spagyricam ditavit iſte quiſquis eſt Scriptor, qui ſe *Heliophilum de Percis* nominat. Solvit is in Aqua Forti Argentum vivum, ſolutioni infundit Limaturam Plumbi: Ita Plumbum, ait, reſolvi in Argentum vivum, ſcoriis & fæcibus Plumbi, cum Argento vivo vulgari diſſoluto, in formâ calcis albæ ad fundum procumbentibus. Hoc, inquam, turpe & putidum eſt Sophiſma, utcunq; illi colorem commodare voluerit noſter. Nam Hydrargyrus, quem ſe elicere imaginatur, eſt ille ipſiſſimus vulgaris, quem in Aquâ Forti anteà ſolverat; Calx verò alba, quæ ſubſidit, ope ignis fuſorii redit in integrum & corporale Plumbum.

90. Conſimiliter ineptit de Chalybe, Argento, Cupro, ex quibus elicere docet Mercuriũ hoc pacto: Limaturam cujusque horum ponit in Crucibulo, ſuper imponit Sal Armoniacum, cum Sublimato Mercurio: permiſcet hæc invicem, adhibitoq; igne elicere ſe ex hiſce Metallis Mercurium currentem opinatur: quum tamen toto hoc actu nihil agat aliud, quàm ut Sublimatum revivificet: Metalla enim integra perſiſtunt in fictitiâ illa Analyſi, id quod in Cupro & Argento tam evidenter monſtrabit Reductio, ut mirum ſit, adeò curioſum Chymicum, qualis haberi vult, potuiſſe id ipſum latere. Accipe Limaturam Cupri vel Argenti, quam cum Armoniaco & Sublimato, modo, quo vult noſter, miſce in Urinali parvo, applicato Alembico cæco, ne quid evolet, Admove ignem lucernarum, vel candelæ ſaltim; videbis fluctuare in

imo Vaſis Mercurium vivum, partem verò materiæ ſublimati: Mercurium vivum ſecerne à reliquâ materiâ: & hujus quidem, tam quod ſublimatum eſt, quàm quod in fundo remanſit, collige, in aquâ ſolve, ut ſalſedines abſcedant, quod non poteſt ſolvi, exime, & in Crucibulo funde, habebis integrum Metallum cujus Mercurium vivum ſeparaſſe profitebaris. Ex hoc Reductionis fundamento, intelligitur, Criteria, quibus probare vult Heliophilus, Mercurium hunc vivum non eſſe ex Sublimato revificato, fallaciâ partim cauſſæ, partim Accidentis, partim conſequentis laborare: tum etiam hoc conſtat (quod incidenter tantum monendum) Extractionem illam Mercurii ex Antimonio, quam eodem Artificio apparat, ne hilum quidem eſſe fortunatiorem.

91. Qualem in Hydrargyrolyſi Metallorum fidem nobis præſtitit Heliophilus, talem quoq; in Sulphuris ex iiſdem eccriſi induſtriam nobis ſuam idem probat. Plumbum calcinat, ſuperfundit Acetum diſtillatum, digerit, Acetum per extractam Animam Saturni ait dulceſcere, Limpidum illud à Calce nondum ſolutâ effuſum, ſi decoquatur ad ſiccitatem, relinquere pulverem inpalpabilem, ſubcroceum, qui ſit anima, Sulphur, & eſſentia ipſius Plumbi. Nugæ nugarum, & ſi quid nugacius iſtis! Acetum Diſtillatum in hac operatione nihil Rei ſeparat ex Plumbo, ſed integrum Plumbum combibit. Integrum, puto, quoad ſubſtantiam, non quoad quantitatem: Potiſſima enim calcis Saturninæ pars manet indiſſoluta, tametſi per repetitam Menſtrui affuſionem & ipſa tota queat ſolvi. Accipe Pulverem illum impalpabilem & ſubcroceum noſtri Heliophili, cum Sale Tartari vel Sapone, immitte in ignem fuſionis, habebis corporale Plumbum. Neq; verum eſt, quod propter extractam ex Plumbo Ani-

mam-

mam vel Sulphur dulceſcat Acetum: Sed, uti in Magiſterio Plumbi, ita hîc quoq;, eſt ipſa dulcedo à ſolutione integri & corporalis Plumbi, quod, ut modò dictum ac demonſtratum, in Solutione ſubſiſtit corporaliter. Præterea Sulphur vocari non poteſt ille Pulvis, qui minimè omnium ſit Φλόγιμος, ſed potius inſtar Salis in Aqua promptiſſimè diffluat. Neq; valet argutiola noſtri Heliophili, contendentis ſuum illum pulverem propterea non eſſe corporale Plumbum, quia non habeat pondus Plumbi. Manifeſtus Paralogiſmus Accidentis. Corpus enim Plumbi in illâ formâ Pulvereâ & ſubtili ſubſiſtit non per ſe, ſed propter concorporatos ſibi Aceti Spiritus ſalinos, (neq; enim credendum eſt, quod vult Heliophilus, totum acetum evaporaſſe) qui corpus metallicum diſcontinuarunt & rarefecerunt, à quibus quidem ſpiritibus Plumbum facilè, ut dixi, liberatur, & in corpus ſuum metallicum remeat.

92. Ire nunc licet *Pererio, Hagelio*, atq; *aliis Ieſuvvitis*, quos per tam falſas nec niſi Sophiſticè demonſtratas Hypotheſes penè ad incitas redegerat perſonatus noſter Chymicus, idq; non tamtùm in Analyſi Metallorum, ſed etiam eorumdem Geneſi. Si quis enim ridere porrò velit, legat, quomodo Metalla nos inſuper fabricari doceat. Solvit Mercurium in Aqua Forti, cum Solutione hac confundit Solutionem Plumbi per Acetum diſtillatum factam, in quâ Animam ſive Sulphur Saturni contineri ſomniat. Confuſis hiſce duabus ſolutionibus ſocîant ſe Mercurius & Plumbum, relictiſq; Liquoribus, in quibus fuerant diffuſi, conjunctim procumbunt in fundum. Liquido effuſo, Materia ſicca, Mercurio & Plumbo conſtans, eximitur, & in Crucibulo funditur: ibi evaporat Mercurius, & relinquitur in fundo verum plumbum,

bum, illud videlicet ipſum, & non aliud, quod in Spiritu Aceti anteà ſubſtiterat, quodque ex illo ſpiritu, etiam citra acceſſionem ſolutionis Argenti vivi, per ſe potuerat ſecerni. Nihilominus hoc ipſum Plumbum naturali ac verâ geneſi per artem factum noſter aſſerit: ſed id tam verè ac rectè, quàm probè ſcivit, Solutionem illam Plumbi per Acetum diſtillatum factam, continere integrum & Corporale Plumbum. Sed valeat ille Plumbeus Chymicus, cum ſuâ Plumbeâ Sophiſticatione.

93. Ego, ut ad rem demum & inſtitutum redeam, poſtquam hactenus contra aliorum Analyſes, quibus Metalla fruſtrà exercent, diſputavi, fundamentaq; aperui, quibus earum queat detegi vanitas, conſequens jam eſſe arbitror, ut oſtendam verum modum, per quem illa ipſa Metalla Spagyricè præparentur.

94. Diſtinguo autem Metalla in *Fixa* & *Non Fixa*: *Fixa* ſunt *Aurum*, *Argentum*, *Hydrargyrus*, quæ nullo vel Igne vel Modo reſolvi in ſuas partes componentes queunt: *Non Fixa* ſunt *Plumbum*, *Stannum*, *Cuprum*, *Ferrum*: quæ aliàs Imperfectiora vocantur: quorum Diacriſis hæc eſt: Accipe quodcunq; horum vis (puta hoc etiam de *Markaſitis* dictum: namq; & harum eadem eſt ratio) & inde Retorto Vaſi apprimè loricato, Applicatoq; Recipiente, detur Ignis vehementiſſimus, videbis tamdem Vaporem fuliginoſum, ſubtilem, aridum & ſiccum inſtar fumi denſiſſimi prorepere in ſubjectum vas, illiuſq; partim lateribus Receptaculi adhærere, partim in fundum decumbere, Ignem continua, uſq; quo ejus nihil amplius exeat, & reſidua erit in Vaſe Retorto Terra mineralis ſolida inſipida, vitrificans, calcina. Verùm hæc Diacriſis nullo pharmaceutices bono fit, niſi fortè in Marte ad parandum hujus Crocum ſtipticum. Ideò tam Fixorum quam

non

Digitized by Google

non-Fixorum Metallorum ſola atq; unica præparatio eſt in Syncriſi, per quam in Magiſterium quodq; faceſſit.

95. Magiſteria Metallica in genere omnia tum conſiunt tum ſubſiſtunt merito Menſtruorum Salinorum ſeu Corroſivorum. Per Aquea enim & Sulphurea Menſtrua, quatenus talia, nulla fit ſolutio Metallorum Spagyrica. Neq; enim audiendi hîc ſunt mendaciſſimi deceptores, qui tametſi Solventia ſua blanda, temperatiſſima & inſipida pleno ore crepant & ebuccinant; attamen non niſi corroſivis rem ipſam conficere, velint nolint, deprehenduntur. Exemplo ſit ipſe *Franciſcus Antonii.* Is, credo etiam juratus, ajat, Menſtruum ſuum ſolvendi Auri non eſſe corroſivum, ſed temperatiſſimum & blandum; cujus blandam ac amicabilem ſolutionis actionem non poteſt ipſe ſatis deprædicare *Cap. 4. Adſert. ſua de Auro Potabil.* Interim tamen eodem capite hanc ipſam ſolutionem diſertè affirmat fieri cùm inſigni ebullitione: Quomodo ergo ſit amicabilis & blanda? Hæc nempè adverſis frontibus inter ſe concurrunt. Deinde Aurum Potabile Antonii guſtu exploratum nihilo blandiùs linguam deliniet, atq; faciunt Magiſteria Perlarum, Coralliorum, Conchyliorum cum Spiritu Aceti confecta: Inſigne, ſi Dîs placet, Menſtrui temperati & non corroſivi argumentum!

96. *Plumbi, Stanni, Cupri* Magiſteria communiter fiunt per Spiritum Aceti, præviâ, ubi opus eſt, calcinatione, mediante ſolutione, & coagulatione in Magiſterium Haloides.

97. *Chalybs* præparatur vel ſeparatione Partium fixarum terreſtrium, & ſtypticarum â volatilibus, quod fit Igne Reverberii, vel Redactione in Magiſterium, idq; vel liquidum, quando videlicet cum Sulphure emollitur prius, Liquore Uſuali ſolvitur, & adducitur in Liquo-

rem colore Rubini conſpicuum & dulceſcentem; vel Pulvereum: quando cum Eſſentiâ Balſami Catholici impægnatur.

98. Utrumq; tam *Cuprum* quam *Mars* quomodo in Vitriolum redigantur diligentiſſimè nec ineleganter in *ſuâ Baſilicâ* prodidit *Crollius*.

99. *Aurum* quoq; ſive potabile factum ſive quocunq; alio modo præparatum nullam aliam vel formam adſciſcit, vel nomen meretur, præterquam Magiſterii. Quia enim fixum eſt & irreſolubile, ideò in quavis præparatione ſubſiſtit corporaliter: quicquid de *ſuo Auro potabili* contra nugetur *Franciſcus Antonius Londonenſis*, contra quem ita ego diſputare ſoleo:

Si Spagyrus iſte ita præparat Aurum, ut non ſit ampliùs reductile, hoc facit vel in calcinatione Auri; vel Solutione ejuſdem; vel deniq; elevatione per alembicū:

At nec per Calcinationem; nec per Solutionem; nec per elevationem per Alembicum Aurum is metallicâ ſuâ formâ exuit:

Ergò Aurum non ita præparat, ut ſit irreducibum.

Major eſt ſufficientiſſima, quum iſtis tribus actibus abſolvat totum ſuum Proceſſum Auri potabilis faciundi. *Minorem* quod adtinet, de calcinatione quidem, quod volo, non invitus conceſſerit ipſe Antonius: quippe qui ejus merito duntaxat præparari ad ſolutionem Aurum perhibet. At nec per Solutionem Aurum evadere irreductile ita probo:

Si in Elevatione per Alembicum Aurum adhuc retinuit ſuam formam metallicam, eamdem multò magis retinuit in Solutione per Aquam Raymundinam facta:

Sed

Sed verum eſt Antecedens, Ergo & conſequens:

Connexionem propoſitionis ita probo: Quia Elevatio per Alembicum in Proceſſu Antoniano gradus eſt Solutione tum poſterior tum ſuperior: Si itaq; in ſuperiore & poſteriore gradu Aurum adhuc eſt aurum; multò magis erit in inferiore & priore. Minorem ita probo; Quia ſi realis fiat Tincturæ ex Auro extractio, tum reſidua illa Terra nigra erit inutilis & abjicienda: Ad quid ergò verba Antonii noſtri dicentis: *Non tamen projicias has terras, quæ ſunt nigræ & ſiccæ, ut ſuadet Philoſophus?* Profectò Tincturâ Auri extractâ, vilius algâ foret caput mortuum, quod tamen minimè projiciendum ex decreto Philoſophorum ſuadet noſter. Quare verò? Dicam, & præfiſcinè dicam: Quia Terra illa nigra & mortua eſt bonum & malleabile aurum: quod reduci tam in proclivi ſit, quàm eſt imber, quum pluit. Velit igitur nolit, fateatur oportet, in ſolutione ſub ſuâ formâ metallicâ perſtitiſſe adhuc Aurum, ſiquidem ipſa Solutio per Cineres ediſtillata, reliquerit Terram nigram & ſiccam, quæ tamen ex ipſius Antonij confeſſione minimè obſcurâ ſit Aurum. Accedit miſerabiliſſima contradictio Antonij, qui poſtquam Aurum formâ ſuâ metallicâ, mediante ſolutione deſtruxiſſe gloriatus eſſet, mox tamen ſubdere audet, iſtam Solutionem eſſe ſub conſervatione ſuæ Speciei. Contradictio palpabilis! Simul enim atq; Aurum formâ ſuâ metallicâ exuitur, exit è ſuo genere & deſinit eſſe metallum. Genere autem ſublato tollitur unà ſpecies. Qui negat te eſſe Animal, negat te eſſe hominem; quod non eſt Metallum, ne poteſt quidem Aurum eſſe. Hic tamen homo frontem perfricat, ut perſuadeat nobis, Aurum deſiiſſe eſſe Metallum, & ſub ſuâ tamen ſpecie conſervari, quo quid dici poſſit abſurdius? Porrò, id quod per Cine-

res elevatum eſt, Menſtruum ſcilicet, quinctâ, ut ait, Eſſentiâ ſeu Tincturâ auri mixtum

Aut continet veram ac realem Tincturam Auri;
Aut Aurum reductile; aut Nihil de auro: Neq; enim quartum dari poteſt:

Poſtremum ſi affirmaverit, rem confectam habuero, ipſeque fuerit ridiculus: Neq; etiam primum poteſt. Quod ſi enim veram ex Auri corpore extraxiſſet Tincturam, reſiduum illud Caput mortuum verè deſiiſſet eſſe aurum. Præterea, veræ Tincturæ omnes hoc habent ſibi proprium, quod quantò impenſius Menſtruum abſtrahatur, tantò ſpiſſius illæ colorentur, Noſtra verò hæc Tinctura quantumvis primò ruberrima, ſolideſcens tamen ad figuram ſaliformem coloremq; pallidum, leviſſimè flaveſcentem prolabitur. Non igitur ſolutio per cineres deſtillata continet veram ac realem Tincturam Auri. Ergo Aurum reductile. Id quod erat demonſtrandum.

100. Duo tamen Criteria affert Antonius, extractæ à ſeſe veræ ac realis ex Auro Tincturæ: quorum primum eſt ruber ille Liquor per Alembicum elevatus: Alterum, remanens illa in Vaſe diſtillatorio Terra nigra, levis, ſpongioſa, mortua: Vtrumq; ſcilicet fallax, nec titivillitii æſtimandum, ut vel ex dictis conſtat. Namq; & terra illa eſt verum bonumq; Aurum, accidentaliter duntaxat ita immutatum; & illa Tinctura per Alembicum elevata non minus accidentaria, fortuitaq;. Quod ſi ex talibus æquivocis apparentiis, ab externâ rerum ſpecie ac colore deſumptis, liceat ſtatim ad extractam ex Corporibus Tincturam argumentum ducere; Tum nullo ego negocio concluſero, quia Magiſteria per Spiritum Aceti confecta, baloidea illa; Plumbi, Stanni, Cupri, Conchyliorum, Perla-

Perlarum, Coralliorum, eodem modo diſtillata, nihilò ſeciùs tranſmittunt in Receptaculum liquorem ſuum Menſtrualem rubcrrimè coloratum, relictâ in Vaſe Diſtillatorio materiâ ad inſtar Terræ nigræ, levis, ſpongioſæ: Ideò ex hiſce etiam Corporibus ſeparatam eſſe veram Tincturam: quod tamen ipſum, quàm abſurdè inde concludatur, docere poſſunt vel ea, quæ de Reductione infra ſum traditurus: Cujus quidem poteſtati ipſum etiam Aurum Potabile Antonii, velit nolit, ſubtrahere ſeſe minimè poteſt: uſq; adeò, ut vel ſola hæc ſufficiat ipſius ſive errori confutando, ſive retundendæ pertinaciæ, nec opus ſit, quod fieri tamen commodum poterat, à qualitatibus Menſtrui, à proportione ponderis Auri ante & poſt præparationem, atq; aliunde etiam, plura eam in rem argumenta depromere. Apponam ſaltim Iambos, qui hoc in negocio mihi nuper exciderunt:

SPAGYRUS *ille, quem, Britanni, cernitis,*
Ait, fuiſſe Chymicùm dexterrimus,
Nec nullius colentis Chymicum focum
Fortunam prateriſſe, ſive Lullio
Conferre ſit ſtatutum, ſive Gebero.
Et hoc negat minaces ægritudinum
Negare Peſtes, ac dolores querqueros,
Febreſq; diras, horridamq; Syncopen,
Cordolia, trucemvé Peſtilentiam,
Vi tanta Pharmaci, quod anteà fuit
Durum Metallum. Nunc Spagyrico in foco,

Cogente Menſtruo, formam induit novam,
Aptam potarier, ac reduci neſciam.
Sibi hæc labore multo cognitiſſima
Ait Spagyrus. Aurum namq́ initiò
In pulverem vertiſſe ſubtiliſſimum
Ac imbuiſſe mox liquore limpido,
Et inde per cacuminati Alembici
Tectum tuliſſe, Arenâ ſive Balneo
Opus foret, ſive ignem utrumq́ poſceret,
Tinctura corpore trahenda ex aureo.
Et extractâ hac, terram ſuperſtitem nigram
Aurum manere; Rubra quum ſicceſſeret
Tinctura, viſa eſt inſtar pallidi ſalis.
Et hac fatetur ipſe, ex quò certiſſimò
Licet videre, quod parùm conſtet ſibi
Antonius AUREUS AC AURUM ANTONI *aurei.*

101. Et verò neque hîc à *Crollio* multum mihi metuò, exiſtimante, ejuſcemodi præparationes Auri per quas Aurum maneat Aurum, inutiles eſſe, quum per eas Aurum non deducatur in melius, quippe quod redigi poſſit in Corpus neq; ullam vel alterationem vel ſolutionem Phyſicam patiatur. Quid enim? annon quando in Verum & genuinum Magiſterium vertitur Aurum, deducitur tum in melius? Magiſterium autem Auri reductile eſt in integrum & corporale Aurum: Quoddam ergò quod reductile eſt in ſuum corpus, deducitur in melius: Atq; adeò Hypotheſis Crollii non eſt univerſalis. Qui ſi præ-

præceptorem ſuum *Paracelſum* hîc conſuluiſſet, vidiſſet eum in *Lib. de Magiſteriis* eadem mecum docere: *Aurum*, inquit, *dat Magiſterio omnem ſuam eſſentiam & complexionem perfectè: neq; cogitandum eſt, quod illud non ſit bonum, quia Corpus nihil valeat ex ratione ſua leproſitatis; nihil hoc nocet, per omnia bonum eſt.* Et paullò poſt: *Corpus nihil nocet; neq; detrimentum affert. Et quamquam virtus nobilior ſit ſeparata à Corpore, quàm cum corpore præparata: Attamen præparatio Magiſteriorum corpus perficit & meliorat plus quàm natura tribui poteſt.* Haſce ſententias Paracelſicas conciliet, ſi poteſt, cum ſuis Crollius, vel faciat id Crollii nomine alius. Deinde illud Magiſterium Auri potabile, quin alterationem ſolutionemq; phyſicam patiatur, apud me quidem nullum eſt dubium: quandoquidem certum ſit, Aurum ſine Menſtrui convenientis & appropriati conjunctione minimè poſſe ad iſtiuſmodi formam devenire. Illa autem conjunctio, quoniam non fit ſine penetratione, diſcontinuatione, attenuatione, rarefactione corporis metallici, quinam, quæſo, ſine alteratione, ſine ſolutione phyſicâ fieri dici poteſt? Sed ſcio, quidnam ipſi ſit ſolutio phyſica: Talis videlicet, quæ Aurum ſuâ formâ metallicâ reverâ exuat; qualem quidem ego per rerum naturam dari minimè poſſe, eodem argumento obtinebo, quo infra anatomen Mercurii ſum impugnaturus.

102. Quamobrem, quod ab initio conſtitutum erat, manet, videlicet Auri præparationem eſſe in Magiſterio eoq; ſolo ſitam: cujus perfecta elaboratio completur hiſce diſtinctis Actibus: Præparatione ad ſolutionem, Solutione ipsâ; & deniq; Soluti coagulatione in formam quovis Liquore ſolubilem. Hoſce actus ita ordine perficio. Solvo Aurum in Aqua ſuâ; præcipito: Percipitatum cum Reſinâ Metallicâ purificatâ & Aceto montano impaſto

Digitized by Google

paſto: & in Crucibulo exſicco, ut evadat Pulvis inſtar Boli Armeni: Huic pulveri affundo Eſſentiam limpidiſſimam Balſami Catholici, quam per arenam rurſus abſtraho, repetendo id vigeſies & ultrà, ita corpus Auri in indiviſiles Atomos & pulverem tantùm non impalpabilem redigitur, aptum jam ſolutioni, quam per Liquorem acidulum inſtituo, ſolutionem flaveſcentem, degeſtione triduanâ prægreſsâ, lento igne coagulo. Et ita habeo Magiſterium Auri ſaliforme, ex pallido nonnihil flaveſcens, ſolubile in quovis liquore.

103. *Argenti* Magiſterium fit ſolutione Corporis Lunaris in ſuâ Aquâ propriâ, & deinde juſtâ debitaq; coagulatione, Coagulati deinde provectione in Magiſterium Cryſtalloides. Lunâ præcipitatâ tamen priùs, perinde atque Cuprum & Ferrum redigitur in Vitriolum.

104. Supereſt *Mercurius*; qui, quoniam ſub quavis præparatione Spagyricâ manet integer, ut ipſa ejus reſuſcitatio ſive reductio evidentiſſimè monſtrabit, ideo neceſſum eſt, quando nihilominus illius Anatomiam Spagyricam publicè profitetur Unzerus, ut vel vim faciat vocabulo Anatomias Spagyricæ, vel ipſi Arti, quæ in corpore indiviſili nullam poteſt Anatomen exercere. Ita ego breviter colligo: Si poteſt Anatome Corporis Hydrargyri fieri, illa fit per Ignem vel per Menſtruum: At per neutrum horum fieri poteſt: Non ergo fieri poteſt. Quod non poſſit fieri per ignem id *lib. 1. pag. 9.* expreſsè fatetur ipſe Unzerus: *Sed non*, inquit, *propterea eius* (intellige Mercurii) *partes eſſentiales, ex quibus conſtat igni ullo elementari deſtruuntur aut diſſipantur*, Quod ſi igne non deſtruuntur Partes Mercurii, multò minus deſtruentur Menſtruo: quùm Ignis major vis ſit in deſtruendis Corporibus Metallicis, quã Menſtrui ut ſuprà patuit in quatuor Imperfectiorib⁹,

quæ

quæ quidem per ignem in ſuas partes reſcinduntur, at quocunq; etiam Menſtruo ſoluta, remeare ſemper queunt in ſuum corpus Metallicum.

105. Itaq; in locum deficientis Anatomiæ Mercurii ſurroganda eſt ejuſdem in Magiſterium redactio. Diſtinguuntur autem *Magiſteria Mercurii* à modo præparandi in *Præcipitata* & *ſublimata:*

106. *Præcipitata, Rubra* ſunt, *Flava, Alba. Rubrum* vulgare fit ex partibus anatacis Mercurii & Aquæ fortis, interveniente diſtillatione per Retortam in arenâ: *Flavum* ex præcipitato Rubro, & Spiritu Vitrioli, mediante diſtillatione, binâ cohobatione; præcipitatione in frigidam, & edulcoratione. *Alba*, non ſunt uniuſmodi. Alia fiunt per ſolutionem in Aquâ forti, præcipitatationem in frigidam: Alia ex Butyro Mercuriali.

107. *Mercuriale* voco, non ut vulgò perperam fit, Antimoniale: Ex Mercurio enim conſtat, non Antimonio: quod oſtendet ejus Reductio: & id, quod confecto illo Butyro, reſiduum eſt in Vaſe Diſtillatorio: Hoc enim funditur rurſus in integrum & corporale Antimonium.

108. Ex hoc Butyro Mercuriali duplex fit Præcipitatum: Unum per projectionem in Aquam, Mercurium vitæ vocant, alterum per conjunctionem Spiritus Nitri, ejuſq; ad ſiccitatem abſtractionem, & calcinationem, uſq; quo evadat Pulvis inſtar Cretæ inſipidus: Et hoc eſt *Bezoardicum Minerale Quercetani*; quod is elegantiſſimo ænigmate deſcripſit in *Pharmacopæiâ Reſtitutâ cap. XXIII: Crollius Antimonii Diaphoretici* nomen præter rem ipſi affinxit, Tamtùm enim habet Antimoni, quamtum Sus Amaricini. Factâ namq; Reductione, videbis Mercurium vivum, Antimonii nihil. Et tamtùm de Præcipitatis.

109. *Sublimatum* mihi unicum eſt in uſu: quod fit ex

 com-

commixtione Sublimati Veneti & Argenti vivi ſecundùm partes æquales. horumq; ita conjunctorum terna in Urinali parvo ſublimatione.

110. Atq; ſic quidem abſoluta mihi videbatur Artis Spagyricæ propria pars (namq; de *Antimonio* omnino adeundus eſt *Angelus Sala*). Et nunc finire licebat, niſi de Reductione Magiſteriorum pauca, loco coronidis, putarem attexenda, idq; eam potiſſimùm ob cauſſam, quod ſuprà ejus ſæpè mentio facta ſit, & ita melius Magiſteriorum natura innoteſcat.

111. Eſt autem *Reductio Magiſteriorum*, Actus, per quem Corpora in Magiſterium adducta, reſtituuntur priſtinæ ſuæ formæ, quam habebant, antequam in Magiſterium adducerentur.

112. Ad intelligentiam hujus pleniorem tria ſunt notanda 1. Reductionem hanc directè & per ſe non pertinere ad Artem Spagyricam: Neq; enim tendit ad Finem ſeu Opus Chymiæ: ſed potius Operis ipſius deſtructionem: Ideoq; non aliter ad Artis Spagyricæ Syſtaſin revocatur, quàm privatio ſub eamdem cum habitu Cathegoriam reducitur: 2. Reſtitui quidem per Reductionem, corporibus ſuam formam, ſed non omnibus peræquè. Quibuſdam enim forma ſua propria & peculiaris reſtituitur, ut Metallis, quæ in ſuum quodq; corpus reducuntur: Quibuſdam forma duntaxat generis, ut Gemmis, Conchyliis; quæ quidem non recuperant ſuam ſibi formam propriam: ſed tamen recuperant formam generis, quia in formâ lapideâ poſt reductionem apparent: 3. Reductionem conſiſtere πρώτως in ablatione Menſtrui: Hoc enim eſt, quod in alienâ formâ detinet Corpora in Magiſterium redacta: Ideo eorum reſtitutio niſi dempto ablatoq; Menſtruo fieri non poteſt.

113 Modi

113. Modi autem Menſtruum à Corporibus aufferendi evariant, prout evariant tum corpora ipſa in Magiſterium adducta; tum ipſa in ſeſe Magiſteria; Et hoc quidem eam ob cauſſam, quod in quibuſdam Magiſteriis tenacius arctiuſq; ſibi concorporata ſint Menſtruum & Corpus: In quibuſdam levius & debilius: Unde obtingit, alia aliis facilius difficiliusvè, alia hoc, alia alio modo reduci.

114. Sed placet progredi ad Exempla, eaq; non alia quàm quæ hoc Scripto propoſui. Gemmarum ergo, Conchyliorum, Perlarum, Coralliorum Magiſteria Saliformia reducuntur diſtillatione per Retortam in Arenâ: Ita enim in Receptaculum in forma liquoris abſtrahitur Aceti Spiritus: In Retorta relinquuntur Corpora ſub formâ Lapideâ, abluenda à nigredine, ſi quam à diſtillatione contraxerint, quæ denuò in Magiſterium ſunt convertibilia.

115. Hæc quoq; abſtractio locum habet in Magiſteriis Plumbi, Cupri, Stanni, quæ in formâ Pulveris ſubtilis ſeu Cap. mortui in Retortâ remanent, & inde exempta per ignem fuſionis redeunt in ſuum corpus. Reducuntur quin etiam citra iſtiuſmodi abſtractionem, cum Sale Tartari igni fuſorio expoſita.

116. Eſt enim ille Sal Catholicon ferè Reductionis Magiſteriorum Inſtrumentum: quia quibuſvis corroſivis extremè adverſatur, earum vires corroſivas & ſolventes infringit ac enervat, quibus fractis Conjunctio Menſtrui & Corporis, quæ inde dependebat, unà diſſolvitur. Succidanei Salis Tartari hoc in negocio ſunt Sal cinerum clavellatorum, aliiq; Sales Vegetabiles.

117. In Chalybe nihil eſt difficultatis, præſertim pulverulento ejus Magiſterio: Liquidum verò, per Tartarum liquefactum præcipitandum eſt: Ita quoq; Vitriolum tam

Digitized by Google

Martiale, quàm Venereum interventu ſolutionis, & præcipitationis per Lixivium Tartari, ſuum Metallum in formâ pulveris dimittit ad fundum.

118. Aurum meum Potabile, ut & illud Franciſci Antonii hac ratione reducitur: Accipe utramq; (hujus primò exſiccatum: diſpenſat enim non rarò id in formâ liquida) cum ſ.q. Salis Tartari, in Crucibulo per horas quatuor aut quinq; Igni Reverberii expone, materiam benè toſtam exime, & affunde aquam, ut ſolvantur ſalſedines adhæreſcentes, quod ſubſederit in fundo, tigillo impoſitum, in igni fuſorio abibit in granulum unum aut alterum Auri.

119. Argenti Magiſterium perquàm commodè reducitur per Cuprum: diſſolve id in Aquâ tepidâ, & injice laminas Cupri, mox ſegregatum à Sale Corroſivo Argentum ad inſtar ſpongioſæ cujuſdam materiæ appellet ad Cuprum, quæ in igne liquefacta redit in verum argentum.

120. Sed & per amalgamationem cum Mercurio interdum reducuntur metalla, excepto Marte: Amalgamatur materia reducenda cum Argento vivo, quod ſe metallo affricat: evaporare permittitur Hydrargyrus, reſiduo Metallo, quod liquefaciendum.

121. Peculiarem adhuc modum reducendi habent Aurum & Argentum idq; per Saturnum: qui quemadmodum Imperfectiora Metalla fugandi & in auras diſpergendi facultatem obtinet, illis duobus intactis, quorum ob id examinator dicitur, ut in Cupella ſive Cineritio manifeſtum eſt: Ita etiam Corroſivos Spiritus utriq; huic Metallo, arctiſſimè licet, adhæreſcentes abſumere valet, atq; ita eorumdem reductioni inſervit. Quin ſæpè omnibus aliis Reductionis mediis fruſtra tentatis, ille ſolus rem confecit.

122. Ma-

122. Magiſteria denique Mercurialia in univerſum omnia reducuntur per Salem Tartari, cum quo permiſcentur, Retortæ induntur; applicato Receptaculo, & juncturis apprimè obturatis ſubditur Ignis, & ſi opus ſit aliquantiſper continuatur; nec mora, redivivus ille Protheus provolat in Receptaculum. 125

123. Plura non addo, quum ſatis mihi ſit, digitum ad fontem intendiſſe. Et quia jam Univerſæ artis Perigraphen delineavi, & quoad ejus in tantâ non modo Subjectorum, ſed & hæc ipſa tractandi modorum, multiplicitate, mutabilitate & diverſitate fieri potuit, ad methodum diſciplinæ Practicæ reduxi, finem huic Exercitationi impono ratus, ſi quid addendum quis forte putet, id non tam ad Artis conſtitutionem, quàm ejuſdem jam conſtitutæ perfectionem elaborationemq; pertinere.

124. Verum tamen, quia de Arte Chymicâ ſcribens, videri Chymicis poſſim, præter rem & rationem ſua Principia intacta reliquiſſe, ideo, ut illis, quibus toto ſcripto impensè gratificari volui, hac quoq; in parte non deeſſem, haſce meas de Principiis Chymicis Adſertiones ſubnectere volui, non alio fine, quàm ut eſſent tamquam Parerga quædam, quæ ut ad ipſam Artem propriè non pertineant (quum ſcilicet omnem de Principiis corporum conſiderationem ſcientia Naturalis ſibi propriam vindicet) attamen ex ipſis Artis operibus maximam partem reſultant & deducuntur.

Adsertio I.

Non omnia corpora mixta poſſunt reſolvi in Mercurium ſeu Liquorem; Sulphur ſive Oleum, & Salem.

 2. Cer-

II. *Certè nullum Minerale in hæc tria reſolvitur.*

III. *Sola cum Animalibus Vegetabilia in illa Tria per Anatomen abeunt: quamquam inter hæc ipſa quædam ſint, quæ vel penitùs in illa tria non reſolvantur; vel ut in Liquorem & Oleum abeant, minimè tamen ſalſeſcant.*

IV. *Ut vel hac de cauſſâ in Reſolutione Spagyricâ parùm auxilii ſit Spagyricis repoſitum ad demonſtrandum hoc, quod omnia corpora mixta illis tribus conſtent.*

V. *Quin potius hujus Contradictoriam vivâ Artis Apodixi liceat adſtruere.*

VI. *Itaq. pro Principiis Corporum haberi non poſſunt illa Tria:*

VII. *Idq. ob hanc cauſſam ampliùs, quod conſtent ex ſe ipſis mutuò*

IIX. *Quæq. præſupponant Elementa, ex quibus orta ſint ipſa.*

IX. *Unde ridiculum porrò ſit, velle ex illis Tribus ipſius etiam Cœli fabricam conſtituere.*

X. *Inſaniæ verò proximum, negare, ea propriè loquendo eſſe corpora.*

XI. *Hæc de illis in genere: In ſpecie ſtatuo: Characterem Mercurii apodicticum minimè gentium eſſe* volatilitatem.

XII. *Neq. Sulphuris, eſſe* inflammabilitatem.

XIII. *Neq. Salis, Incinerationem.*

XIV. *Neq. Sal eſt primum principium ſaporum, evacuandi, detergendi.*

15. *Ac*

XV. *Ac habet quidem omnis Sal potentiam coagulandi eamq́ tam actiuam, quàm paſſiuam: Non tamen Coagulationis primum principium Sal eſt, ſiue paſſiuum ſiue actiuum intelligas.*

XVI. *Neq́ Sulphur,* πρῶτον δεκτικὸν *eſt odorum.*

XVII. *Neq́ Mercurius, primum coloratum.*

XIIX. *Neq́ omnis Liquor, acidus.*

XIX. *Neq́ ullum oleum Chymicum dulce.*

XX. *Conſiſtentiam, quam Sulphuri dant & Mercurio, eam alicubi utriq́ adimunt ipſi.*

XXI. *Nimisque miſerabiliter Functiones animæ debitas miſerabilibus iſtis Principiis ſuis addicunt.*

XXII. *Cumq́ tam ruinoſo tibicini innitantur illa tria: fieri utique nequit, quin quotiens eadem fiunt Medium Demonſtrationis; totiens res redeat ad id quod in principio petebatur, & turpis committatur nugatio.*

XXIII. *Vſq́ adeò, ut qui illis tribus Principiorum famimiliam augent, videantur mihi Entia ſine neceſſitate multiplicare.*

XXIV. *Hæ ſunt meæ de Tribus illis Chymicorum Principiorũ adſertiones: ſuperſtructæ invictis Hypotheſibus; quæ non tamtùm in ipſâ Phyſicâ & Chymiâ, verùm etiam ipſorummet Chymicorum* Paracelſi, Quercetani, Beguini, *& eorum, qui cum iis colludunt, Scriptis ſolidiſſimè ſunt fundatæ. adeò ut contra Chymicos, ex ipſis*

Chymi-

Chymicis Chymicorum Principiorum vanitatem liceat redarguere.

TAMTUM EST.

Cuiq; ſuum caput eſt, ut Pileus.

ERRATA

Quædam Feſtinatione irrepſere,

Vt Theſ.10. lin.4. *Poſt hæc verba:* commodiſsime ſuſtineant: *adde*, Quædam verò vel penitus non ſuſtinent; ut ſunt &c.
Theſ.13. lin.5. ante finem: Non Parte. *pro*; non ſui parte &c.
Th.25. lin.16: interdum fieri; *pro*; Interdum nullam fieri, &c.
Th.81. lin.4. ante finem Iulius *pro* Petrus.
Th.83. ferè in medio; ſed etiam vel; *pro*; Sed etiamſi vel &c.
Reliqua, ubi litera ſaltim eſt Omiſſa, addita aut immutata; ut Th.14. lin.6. Inteiligentia, *pro* intelligentia. Th.65.l.9. violatil. *pro* volatil. Th.76.l.4. reliquitur pro relinquitur. Th.55. l.1. Argmuentum, *pro* Argumentum. Th.81. & alibibi Peripathetic: *pro* Peripatetic. Th.83. l.ult. ipſi *pro* ipſe. Th.86. l.7. ante fin. tranmutari, *pro* tranſmutari. Theſ.94. in fine Croceum *pro* Crocum. Theſ. 102. lin. 7. Percipitatum *pro* Præcipitat. & quæ ſunt hujuſmodi, benevolus lector ipſe corriget.

FINIS.

99 950772